10
7-D
26

Digitized by Google

SPECTABILIUM
HISTORIÆ UNIVERSALIS
COMPENDIUM

Ad facilè acquirendum potiorum eventuum à Mundi exordio, uſque ad noſtram ætatem notitiam.

AUCTORE

D. JOANNE SIANDA.

A' MONTE REGALI.

C. S. B.

Ordinis Ciſtercienſis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE

Apud Jo: MARIAM SALVIONI.
Typographum Vaticanum.
M. DCCXXXV.

Superiorum permiſſu.

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. HORATIO ALBANI

SORIANI PRINCIPI

Germanorum Eccleſiæ Cardinalium
Hannibalis, & Alexandri
Nepoti
CLEMENTIS XI.
P. O. M.
glorioſæ memoriæ
Pronepoti
Ingenii fælicitate
ſpectabili
Scientiarum, linguarumque intelligentià
In juvenili ætate
Ornatiſſimo
multæ expectationis Patritio
& Principi
Author.

PRivati mei ſtudii elucubrationes hiſtoricas in compendium continuatà oratione congeſtas, publici juris facere, amicorum fuit conſi-

lium:

lium: quod autem Excellentiſſime Domine, tuis ſub auſpiciis typis commendentur, meæ eſt erga excellentiam tuam devotionis, Tuæ eſt erga me benignitatis, quandoquidem hoc quantumvis tenue obſequii mei teſtimonium ingenitâ, qua Te cunctis amabilem reddis comitate, ſuſcipere non dedignaris. Juvenilibus adhuc annis provectos gerens mores, & ſenſus acutâ tuæ mentis indagine, optimâ indole, omnium tibi concilias animos. Quis unquam metit ſtatim ut ſevit, quis in novellis arbuſtis maturos jam fructus invenit? prævenit in Excellen-

tia

tia Tua tritura ſementem, fructus radicem: tenerè geſtorum experimento, optimæ indolis pretio, ſcientiarum, quarum prematuram cognitionem acquiris intelligentia, illas jam Tibi laudes promeruiſti, quas alii vix obtinent cum jam evaſerunt in virum. Non tàm ſublimitate Natalium, quam ingenuitate mentis, & morum avitis meritis reſpondere promittis: dignum utique laudum compendium laudibus, & meritis ſucceſſiſsè majorum; ſtudes nihilominus magis placerè de propriis, dum indefeſſo ſtudio pietatis, ſcientiarumque præ-

tium acquirere æmularis. Majorum tuorum merita ſatis Urbi, & Orbi faciunt conſpicua Clementis XI. probitas, ſcientia, pietas, prudentia, majeſtas, qui ſic in Pontificiæ Dignitatis faſtigio ſuam illuſtravit proſapiam, ut indefectibilem tribuerit ſuis poſteris claritatem, quam Tibi auget ex materno Borromæorum ſanguine geminata nobilitas. Ab Excellentià Tuà, quæ à ſuorum benignitate parentum novit tenujora etiam obſequia clementer admittere, ſperare juvat benignè acceptum hoc opuſculum, quod Tibi ſiſto vectigale.

LECTORI.

PAucis multa complectere ſcopus eſt præſentis opuſculi, in quo ordine ſervato chronologico ſpectabiliores eventus, licet diſparatos continuatà oratione ſtudui ſimul connectere, in labilis memoriæ meæ ſubſidium, ut preſtò ad mentem revocare valerem, quæ ad hiſtoricam notitiam ſpectantia, pluribus annis ex varià ſcriptorum lectione congeſſeram. Fortè non deerunt, qui hoc opuſculum ſugillare valeant dicentes, auctorem introiiſſe in labores alienos. Fateor eruditiſſimos viros hanc fælicius aſſumpſiſſe Provinciam perſtringendi Hiſtoriæ Univerſalis Compendium; nullum tamen magis abbreviatum hactenus in lucem prodiit, & fortè ſi dicere fas eſt clariori methodo digeſtum, uberioremque cum brevitate Hiſtoriæ Univerſalis cognitionem componens. Hujus quantulicunque laboris tenuitatem cum illis ſaltem placere

ſim arbitratus, qui brevi multa per-
currere ſattagunt, ideò ex amicorum
conſilio publico juri conceſſi vale.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſs. P. Sac. Palar. Apoſtolic. Magiſtro.

N. Epiſc. Bojan. Viceſg.

APPROBATIO.

ABBATIS LAURENTII MAFEI.

DE mandato Reverendiſſimi Patri Magiſtri Sacri Palatii attentè legi librum, cui titulus eſt: *Spectabilium Hiſtoriæ Univerſalis Compendium*, a Reverendiſs. P. Abbate Joanne Sianda Ordinis Ciſtercienſium concinnatum. In eo nihil inveni, quod aut Catholicæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur. Imò planè ſentio, ſi typorum ope evadat publici juris, illud legentibus non mediocri utilitati futurum. Omnia enim quæ refert, licet tam diverſa ſint, optimis tamen nexibus colligantur. Perſonas eodem nomine vocatas, quæ confuſionis occaſio eſſe poſſent, monet diſtinguendas eſſe a lectoribus. Synopſim rerum geſtarum ab illuſtribus populis, quum primum in Compendio nominantur, non raro exhibet.

bet. Clariores Urbes geographicè deſcribit. Sententias in narratione interſerit. Hæc & alia eruditiſſimi Auctoris diligentiam manifeſtant, efficiuntque ut verè ſentiam dignum eſſe hoc opus, ut prælis committatur: Si ita ad quos ſpectat videbitur.

Romæ 21. Kalendas Februarias 1735.

Horat. DIxerat olim Venuſinus Vates facto exinde communi adagio: *Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci*: jure dicam, & ego de Authore, ejuſque libro, cui titulus *Spectabilium Hiſtoriæ Univerſalis Compendium ad facile acquirendam potiorum eventuum à Mundi exordio uſque ad noſtram ætatem notitiam*, quem ut legerem demandatum accepi à Reverendiſſimo Patre D. Balthaſare à S. Philippo Nerio noſtræ Congregationis Abbate Generali, *Omne tulit punctum* (hiſtoricæ nimirum ſcientiæ) *qui miſcuit ima ſupremis*: priora ſcilicet tempora ità poſterioribus aptando, ut uno eodemque conſpectu dum præſentia primò apparent, præterita, quæ jam apparuere, non effugiant, ſed cla-

rius innoteſcant. Id enim quod pluribus, & magnis effuſum voluminibus diſperſum legitur, nec ab omnibus habetur, hoc uno abbreviatum libro comprehenditur; hinc *quæ faciunt diſperſa beatos*, in ſe *uno collecta tenens* lectorem ita erudit liber iſte, ut dùm hunc unicum is optime ſciat, reliquos penè omnes ſe ſcire non vereatur. Publicæ commoditati, & eruditioni id factum, non eſt qui commendandum abnuat; ſi qui voluptatem cum utilitate conjunxit omnium ſuffragio laudatur. Eoque magis cum nil fidei, moribus, aut ſanæ doctrinæ adverſetur. Quarè ut publici juris fiat meo etiam calculo libenter ſubſcribo. *Claudian:*

D. Cœleſtinus Maria à S. Paulo Sacræ Theologiæ in Monaſterio S. Bernardi de Urbe Lector.

Ita ſentio ego D. Iſidorus à S. Cajetano Prior Monaſterii S. Pudentianæ de Urbe &c.

D. Bal.

D. Balthaſar à S. Philippo Nerio Congregationis S. Bernardi Ordinis Ciſterciensſis Abbas Generalis.

CUm Librum, cui titulus: *Spectabilium Hiſtoriæ Univerſalis Compendium* ab Admodum R. P. D. Joanne Sianda Noſtræ Congregationis Primo Seniore Aſſiſtente compoſitum, duo Theologi ex noſtris recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi ita iis ad quos pertinet videbitur. Cujus rei gratia præſentes literas manu noſtra ſubſcriptas, & Officii noſtri Sigillo munitas dedimus ex Noſtro Sanctæ Pudentianæ de Urbe Cænobio hac die 29. Martii 1735.

D. Balthaſar à S. Philippo Nerio Abbas Generalis.

D. Laurentius à S. Clemente Secretarius.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuannelli Ord. Prædic. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

SPE-

SPECTABILIUM HISTORIÆ UNIVERSALIS COMPENDIUM

CAPUT I.

SUBLUNARIUM rerum viciſſitudini ſemper obnoxia fuit humanæ fragilitatis conditio inter proſperos, & adverſos eventus, quos a Mundi exordio uſque ad annum 2552. deſcribit Moyſes, primus inter omnes hiſtoricos, qui, cum Deo afflante ſcripſerit; divinam, & humanam ſibi vindicat fidem, ſive Scriptoris attendatur ſanctitas, ſive dignitas, ſive propinquitas temporis, & traditio de aure, in aurem, per octo tantùm ætates ab Adamo ad Moyſen derivata. Hinc erudimur, quà ratione perſpectam aquiſierit Moyſes rerum omnium, quæ in Pentatheuco commendavit, cognitionem.

*An.*1. Ex narrationis initio conſtat
Deum eduxiſſe Mundum ex nihilo *,
excitaſſe paradiſum voluptatis, cujus
ad modicum incolæ fuerunt Adam, &
Eva, totius humani generis protopa-
rentes, Divinique præcepti Prævari-
catores facti à Paradiſo expelluntur,
in ſudore vultus quærentes panem,
morti obnoxii in pœnam tranſgreſ-
ſionis, quæ fecit etiam ut mulier in
doloribus pareret, in quibus Eva in-
gemuit, Caini, & Abelis puerpera,
quorum poſterior ob ſingularem in-
nocentiam, Deo gratus; prior vero
exoſus factus eſt ob depravatos mo-
131 res, ſed præcipue ob perpetratum *,
ſola invidia impellente Fratricidium.
132 Subſtituit Deus, * pro Abele in-
terfecto Sethum. Inventas fuiſſe a Se-
tho litteras non immeritò aliqui opi-
nantur; ſcientiarum nihilominus
principia, & rudimenta Adamo di-
vinitùs indita fuiſſe, & in poſteros
propagata omnes conſentiunt. Pia
fuit Sethi Progenies. Ex ſtirpe verò
235 Cainica propagati, a Dei cultu * re-
ceſſerunt, ſuperſtitione invecta; ſed
Enos Sethi Filius divinum eſt Zelatus
honorem, cujus imitatores dicti
ſunt

ſunt Filii Dei, qui verò a Dei cultu deflexerunt, dicti ſunt Filii hominum. Genitus eſt ex Enos * Cainam, a quo 325
Malaleel, a Malaleele Jared, ex Jared * Henoc. Alius autem eſt Henoc 622
Jared Filius, ab Henoc Caini Primogenito, a quo Henochia prima Urbs in orbe condita * & nomen ſuum ſortita, prope quam Cainus in Silva pro 650
fera habitus, cum diu profugus fuiſſet ſuper terram, a Lameco (ſicut aliqui opinantur) abnepote * interficitur. 701
Neque Lamec Caini abnepos, cum Lameco Mathuſalemis Filio confundendus; hic enim ex familia Sethi optimis inſtructus fuit moribus, ille ex progenie Cain incontinentiæ addictus, præceſſit quotquot duas ſimul, & ſemel duxerunt Uxores.

Ab Enoc Jared filio genitus eſt Mathuſalem, a Mathuſaleme *Lamech, 875
quo vivente Adam, ſuperſtite adhuc per decennium uxore, ſolvit * debitum mortis. Ab hoc debito immunis 930
factus eſt Enoch Sethi trinepos, ex hominum cætu, cum factus eſſet annorum 135. * divinitùs ſegregatus: 987
quò autem tranſlatus fuerit controvertitur. Naſcitur a Lameco Noe * 1059

Pater Sem, Cham, & Japhet, decimus inter Patriarchas, à Deo miſſus, ut prædicaret hominibus a via veritatis aberrantibus pœnitentiam; ſed cum verba ſalutis non recepiſſent,
1656 erupit in ſcelerum pœnam * diluvium a deceſſu Mathuſalem paucos poſt menſes, cum ad annos *969.* vitam protraxiſſet, factus ſenior ex cunctis viventibus.

Nauticam artem edocentur homines a Noemo, cum jam ante diluvium a Caino agriculturam, a Lameco artem venatoriam, a Tubal Muſicorum inſtrumentorum opus, a Noema lanificium, a Tubal Cain artem fabriferrariam didiciſſent. Et etiam in arte ædificandi ſeſe exercuiſſent, maximè Gigantes, ex gente Sethi cum gente Caini connubiis juncta, progeniti; quæ improba progenies Deum præcipuè impulit ad delendum hominem univerſali diluvio, ſalvatis in Arca, Dei juſſu a Noemo conſtructa, cum filiis ſuis, etiam uxoribus, unà cum ſpeciebus cunctorum Animantium.

Diluvio poſt quadraginta dies inundationis expleto, totidemque re-

repetitis ad conſummationem aquarum diebus, Noe * Arcam egreditur. Sufficienter jam propagato poſt 1657
113. annos humano genere, filiis, atque Nepotibus * terram dividit. Partito Terrarum orbe diverſa ſtabiliuntur regna, leges promulgantur, artes, & agricultura florent. In Ægypto regni primordia excitat *Cam Filius Noe, ubi ſub nomine Menas regnavit annis 62. Cami Nepos fuit Nembrodus, per quem Turris Babilonicæ conſtructio, antequam dividerentur per orbem, ad perennandam diviſionis memoriam proponitur. Jamque ad 4000. cubitus Turris ſuperbierat, cum Deus compreſſit humanam jactantiam per confuſionem linguarum, quarum primam in Adamo a Deo infuſam creditur fuiſſe Hebræam. Cum Babel conderetur, homines jam excreviſſe ad quatuor milliones circa, ſunt qui autumant. 1770 1790

Aſſiriorum Imperii fundator *fuit 1879
Ninus, ſive Aſſur, a quo Aſſirii. Ninus Nembrodi Filius, Belo nuncupati, Patri templum Babilone ędificat,
* ſimulacrum erigit: hinc Beli, Belial 1896
Idola ut plurimùm ſortita ſunt nomen,

men; latiuſque imperandi ſtudio Ni-
1910 nus impulſus, ducta in Uxorem * Semi-
ramide, primus contra Aſiæ Populos
1915 Bella* paravit; Regeque Zoroaſtre de-
1920 bellato * Bactris potitur. Semiramis vero, Nino defuncto, Perſide, Media, Ægypto, aliiſque provinciis ſubactis, etiam ad Indos dilatavit triumphos, quibus ſe poſteris celebrem fecit; tum etiam ob inventos Babilone hortos penſiles. Sed Triumphorum gloriam impudicitiis, & opprobrioſa morte obnubilavit, cui à Filio Ninia adjudicari meruit, eo quòd ejuſdem amore capta, ad inceſtum ſolicitare non erubuiſſet.

Inter Cami Succeſſores celebris fuit Toſortrus dictus Euſculapius, medicinæ Profeſſionis inventor, quamvis aliqui prothomedicum Apim Ægyptium agnoſcant: certum nihilominus eſt Prodicum Euſculapii diſcipulum primum fuiſſe Jatraplitam, ſive jatrapliticæ medicinæ, quæ unguentis medetur corporibus inventorem. Euſculapio etiam ſcribendi ar-
2000 tem debet * orbis literarius. Contemporanea fuit Pictura, & inventio numerum, ſicut etiam ars ſaxa ſcin-

den-

dendi Euſculapium habet auctorem, regem in urbe Menphis, a Menas condita in Ægypto.

Sinenſes etiam a tempore Noe ſub nomine Phoci, ſui computant imperii originem. Divitiarum quantitate, populi affluentià, urbium multitudine nemini ex toto orbe ſecundum eſt hoc vaſtiſſimum Imperium, in quo Hominum Milliones 200., mulieribus exceptis, & infantibus enumerati, ſcriptores non improbandi profitentur; in quindecim Provincias Regnis æquiparandas diviſum, in Aſia ad Orientem ſitum, a doctore Confuſio moralibus præceptis annis 500. ante æram vulgarem imbutum, a S. Thoma Catholicæ Religionis lumine illuſtratum, cujus Regia Pechim: in longiſſima pace, nempe ex quo a Noemi Filio ſub Phoci nomine fundatum fuerat floruit, uſque dum a Tartaris fuit ſubactum.

Noe factus Annorum 950., cum primus inter homines vinum expreſſiſ-
ſet ex vitibus, diem ultimam * clau- 2006
ſit. Poſt biennium ab ejus deceſſu in
Ur Chaldęorum * a Tare naſcitur A- 2008
braham vigeſimus inter Patriarchas,

 cui

cujus frater Aram, primus ex hominibus repentina morte corripitur. Inter Abrahæ, & Lot ſervos excitatis diſſidiis, facta eſt inter Patruum,
2084 & nepotem * diviſio, poſtquam Abraham a Deo vocatur veræ Religionis Parens futurus. Chaldęi verò jam ab Anno 1900. ſiderum motus, & effectus cœperant impenſiùs obſervare, qua propter Aſtrologiæ inventores, meritò ſe eſſe gloriantur. Chaldęa inter Euphratem, & Tygrim ſita in Aſia, in meridionalem, & ſeptentrionalem diſtinguitur; Septentrionalis incolæ, martiales alebant ſpiritus; ibique prope Meſopotamiam eminebat Civitas Ur Chaldęorum dicta, Abrahæ patria. Meridionalis verò habitatores ſcientiarum agnitioni indefeſſi, aſtrologiæ, & philoſophiæ intenti, Babilone Chaldeæ urbe primaria floreſcentes, in toto erant Oriente conſpicui.
2107 Stabilita Dei juſſu circumciſione * irritatur Altiſſimus contra Sodomitas, qui vim inferre attentaverant Angelis in domo Loth hoſpitantibus, mittitque ſuper Sodomā Judeæ urbem de cœlo ignem, ab Angelis Abrahamo

mo prænuntiatum; ſed ab incendio Loth unà cum Uxore eripitur, quæ, eo quòd contra Angeli educentis præceptum reſpexiſſet in Sodomam, verſa eſt in ſtatuam ſalis. Facilior ad obedientiam fuit Abraham, ad primum Dei nutum egreſſus de cognatione ſua, incola factus in terra Canaam, ubi Sara ejus uxor * nonage- 2018
naria genuit Iſaac, cum Abraham jam ab Agar Iſmaelem ſuſcepiſſet; Iſaacum ætatis annorum 37. ad Dei nutum in monte Moria, qui idem eſſe creditur ac Calvariæ locus, in holocauſtum * offerre paratus, ſed An- 2145
gelum præcipientem audivit, ne manum extenderet ſuper Puerum. Poſt triennium Iſaac Rebeccam * duxit in 2148
Uxorem, a qua Jacob, & Eſau gemini generantur. Ægyptios Abraham plures edocet ſcientias, Grçcis poſtmodum ab Ægyptiis communicatas. Fuit autem Abraham egreſſus de terra ſua, primo per quinquennium in Meſopotamia, hinc Palçſtinam tranſmeavit, ex Palçſtina verò, ut a famis incommodis ſe ſubduceret, qua tunc Judæa vexabatur, Ægyptum unà cum Sara uxore eſt progreſſus,
 ibi-

ibique factus bellator fortis, familiâ ſua, quæ 318. animabus conſtabat in exercitum diſpoſita, Regulos, a quibus Loth nepos detinebatur captivus, confregit, Nepote libertati reſtituto.

Triumphator Abraham de Rege Codorlahomor, gratulabundum de partâ victoria Melchiſedecum Regem Salem obvium habuit. Erat Melchiſedech Rex, & Sacerdos; proinde panis, & vini ſacrificium Deo obtulit in gratiarum actionem, pro concluſâ ab Abrahamo victoria. Salem urbs ipſa eſt Jeruſalem à Melchiſedeco excitata, & primò Salem dicta, deinde à Jebuſęis capta (Jebus Canaam filius Jebuſęo populo nomen fecit), compoſito nomine, Jeruſalem fuit nuncupata, poſt modùm etiam dicta Sion, Civitas ſancta, Civitas Juda, Civitas David, cum eandem urbem à Jebuſęis David milite ſtipatus eripuit. Armorum vicibus ſubdita Jeruſalem, ſub diverſis ſæpe ingemuit dominiis. Regnante in Judęa Roboamo, Seſoſtris Rex Ægyptius anno 3064. urbe potitur; mox ſub Rege Amaſia à Joas Rege Iſrael anno 3210. deprædatur, quod & præſtiterunt Aſſyrii anno

nò 3361. nec non Nabucodonoſor Rex Babylonis anno 3436. qui iterato anno 3446. inaudita ſævitie, ſuper urbem adeo ſpectabilem omnem militarem exercuit licentiam, repetitam ab Antiocho Æpiphane anno 3886. Pompeus contra Judęos irritatus etiam urbem militari licentiæ reliquit; propter commiſſum Deicidium Tito obſide omninò ſubverſam. Anno verò æræ vulgaris 132. Adrianus urbem iterum reædificat, & Heliam Capitolinam vocat. Conſtantinus magnus ſacris ornat ædificiis, à Coſroe ſolo æquatis. Anno 614. ſub Saracinorum jugo miſerè ingemuit uſque ad Carolum Magnum, quo è vivis ſublato, iterum Saracini Civitatem Dei profanant, tot ſanctificatam prodigiis, quæ ibi operatus eſt Chriſtus, tandem pro peccatis in monte Morià, ſive Calvariæ victima factus, quam longe antea in eodem monte Abrahæ ſacrificium præfiguraverat.

Moritur Abraham*annorum 175. 2168
poſtmodum Heber* publicus rerum 2187
divinarum magiſter ætatis annorum 464., Senior factus poſt diluvium ex

cunctis hominibus: primuſque principavit in Palæſtina. Quod ſi vera ſunt quæ de Argorum regno in Lydia fabulantur Poetæ,hujus dominationis
2188 initia ad hanc ætatem * referuntur. Nec non in Inſula Creta,nuncCandia, poſt Cretem regalia aſſumpſit inſignia Jupiter Saturni filius, Plutonis, & Neptuni frater. Cumque Pluto funerum pompam primus adhibuiſſet, inde inferorum Deus a Poetis fingitur; ſicut Neptunum nauticę rei peritiſſimum, Deum maris appellare conſueverunt. Cretenſibus Grecæ Religionis, ſive ſuperſtitionis primordia, muſicarum vocum uniſonus concentus, martialium inſtrumentorum inventio, arcus ſcilicet, ſagittæ, & enſis adſcribitur: primi inter homines loricati apparuerunt in bello, ad liræ flautique ſonitum progreſſi in caſtra, terra marique potentes, per artem nauticam aperire cæperunt ad diſſitas Provincias facile commercium, omneſque prçiuerunt armati ſuper equos inter militares copias ad caſtra diſpoſiti. Ex hac Inſula perſpicaciſſimi ingenii viri prodiere, tam in armis, quàm in ſcientiis conſpicui; inter

inter quos celebris inter architectica artis profeſſores Cteſiphons, Dianę templi in Æpheſo mirabilis ſtructuræ adinventor. Hiſce etiam temporibus Phegon, Phoronęi Argorum Regis frater, primus apud Græcos annis, & menſibus metitus eſt tempora, iam longè ante ab Hebræis in menſes, & annos partita.

Annorum erant ferè quadraginta Jacob, & Eſau, quorum poſterior primogeniti jura priori vendiderat, cum exorta inter germanos contentione, Jacob fratris iram declinaturus, confugit ad patruum Labam, Rebeccæ fratrem, in Meſopotamia multis cumulatum poſeſſionibus commorantem. Rachelem Labami Filiam ſibi deſponſaturus, per ſeptennium in domo patrui famulatur, quo tempore ſcalam myſticam * eſt admiratus, & di- 2248
vina ipſi reſerata fuere miſteria. Dum ſumma in ſimplicitate Jacob ſuum proſequitur famulatum, doloſè agente Labamo, factum eſt ut pro Rachele Liam ſororem * duceret in uxorem, 2252
ſed poſt dies ſeptem, promiſſo novi famulatus ſeptennio, etiam Rachelem obtinuit, & ab utraque filios ſuſcepit,

2259 inter quos Joſeph * Rachelis filium, ſuperſtite adhuc Jacobi Patre Iſaaco, & patruo Iſmaele, à quo Arabia
2261 * bellando ſubacta. Ab Iſmaele feroces gentes ad bella diſpoſitæ ſuam traxere originem, nempe Iſmaelitæ, Agareni, Arabes, Saracini, quibus Iſmael leges condidit, & Arabo regno fecit initium.

Jam ab anno 1790., ut ſupra innuimus, inter alia regna florebat Ægyptiacum, pluribus nobilitatum ſapientiſſimis Viris, inter quos fulget Her-
2260 mes * dictus Triſmegiſtus, quod idem ſonat, ac ter magnus, quia Rex erat, Sacerdos, & Philoſophus, a quo plura doctrinæ monumenta fuerunt collecta, & in horas duodecim dies compartita; ars Jeroglificè ſcribendi inventa, & primæ Ægyptiorum leges exaratæ. Ægyptum iam ex tunc urbium frequentià, bonarum artium culturà floruiſſe, à nemine revocatur in dubium. Conſueverunt Ægyptii Deos ſub animalium figuris Jeroglificè exprimere, ex quo factum, ut prima apud Ægyptios Deorum ſimulacra eſſent animalia, quorum morem ſecuti poſtmodum Hebræi, vitulum au-

aureum erexerunt. In Ægyptum abducitur Joſeph, a fratribus venditus * 2276
Madianitis mercatoribus, ex quo liquidò conſtat jam ex tunc mercaturam exercuiſſe homines,& conſequenter Aritmeticæ ſcientiæ, ponderum, & menſurarum inventum, adeo ad mercaturam neceſſarium non eſſe pro trahendum; neque primos, mercatores in orbe fuiſſe Phœnicios populos. Tyrus enim Urbs magni nominis in Phœnicia, ſolum anno 2785. iuxta probabiliorem opinionem ſua novit initia; ante ejus fundationem jam apud Ægyptios inventam fuiſſe mercaturam, ex venditione Joſeph comprobatur; ſicut etiam numiſmatum uſum invaluiſſe conſtat, quandoquidem viginti argenteis Joſeph venditus eſt Ægyptiis,cum vix annum ageret 17. ubi diu exul detentus, poſt decennium* ab uxore Putifaris ſollicita- 2286
tus, blanditiis non acquieſcens, inſtigante deluſa muliere, furore ex candeſcente, arcto carceri mancipatur, nec paulo poſt Iſaacus ætatis 180. e carcere mortalitatis * educitur. 2288

Interpretatur Joſeph in carcere Pharaonis ſomnium (Pharao idem ſonat

nat ac Rex apud Ægyptios) qua propter Regi factus acceptus, libertati reſtitutus, primus poſt Regem exaltatur in Ægypto, ubi tempore famis,
2298 ejus Pater cum univerſa familia * quęſivit, & invenit refugium. Regni ve-
2340 rò uſque ad obitum ſuum * moderamina geſſit Joſeph, venditus regnante Pharaone Mephramuthoſis, mortuus ſub Pharaone Oruſi: ex quo videas annis 54. regnaſſe Joſephum, & vitæ habuiſſe terminum, cum Sparta ſuum novit initium a Lacedemone, qui urbem ex ſuæ uxoris nomine Spartam nuncupavit. Lacedemonia ſive Sparta Urbs vetuſtate nobilis in Peloponeſi, primò fuit ſub Regibus, mox in Rempublicam evaſit: deinde Orientis Imperatori ſubdita, impoſterum Rodienſibus equitibus ſubmiſſa, demum a Mahomete II. ſubacta, non paulò poſt Reipublicæ Venetæ, paruit. Adhuc inſignia ſervat nobilium ædificiorum monumenta. Porro Athenis non modo ſcientia, ſed politici Reguninis peritia, martialis virtutis gloria nunquam Lacedemonia ceſſit; in hoc etiam illuſtrior, quòd uno ſeculo præceſſit Athęnem.

Athe-

Athęnes fęcunditate virorum in omni ſcientiarum, & bonarum artium genere illuſtrium, nemini ex totius Orbis urbibus celeberrimis impar, a ſuis primordiis Regibus per annos 487. paruit, quorum ſeriem aperit Cecrops, a quo celebre inſtitutum eſt Areopagum; Mox ſub Archontis, ſiue Prætoribus perpetuis, deinde decennalibus fuit, quorum poſtremus Herodes. Pro bono Reipublicæ regimine Solonus, dum Archonti fungeretur officio, leges ſuas publici juris fecit. Contra floreſcentem in dies Athęnienſem Rempublicam univerſa Gręcia invidià commota eſt, & concitata; quapropter contra Lacedemones, Thebanos, Spartanos, Bizantios, & Rhodienſes ſæpe ſola Athęnes bellum inſtruxit. Ab Alexandro Macedone ſubacta, protegentibus deinde Romanis liberati reſtituta, mox vario ſucceſſu fuit ſub Romanorum Imperatorum dominio. Quarto cadente ſeculo eræ vulgaris, ab Alarico Gothorum Rege, regnante Arcadio, capta deprędatur. Demum a Mahomete II. anno 1455. jugo Saracino ſubmittitur: noſtra adhuc ætate illu-

ſtria

ſtria ſervat ſuæ antiquitatis monumenta. Sed D. Pauli prædicatione illuſtrior tunc facta eſt, cum gentilitate abdicata, ſuavi Chriſti jugo honorificè ſe captivavit.

CAPUT II.

MUltiplicatis deſcendentibus ex Jacob ad plura centena millia in Ægypto, timens Pharao Amenophis in dies pullulantem multitudi-
2451 nem, omnes Iſraelitas maſculos * in Nilo abſorberi præcepit. Ab hoc periculo Moyſes ope Thermutis Pharao-
2464 nis filiæ * eripitur, in lucem editus anno 808. poſt diluvium. A Thermute in filium adoptatus, & in omnibus liberalibus diſciplinis excultus, non modica exhibuit excellentis ingenij
2504 teſtimonia: ab aula Pharaonis * egreſſus Moyſes ad Iſraelitas inviſendos profecturus, Ægyptium virum in Judęos ſ̨evientem interimit. Ob patratum homicidium, ut ab Ægyptiis ſe ſubduceret, ad Madianitas divertit, ubi Sephora Jethro filia in uxorem ducta, duos ab eadem filios ſuſcepit; Gregis cuſtodiæ a Jethro in deſerto ma-

Madian præfectus, hoc in munere jam annis quadraginta abſolutis, factus octuagenarius * Deum in medio rubi 2544
ardentis conſpexit, Deoque præcipiente ſiſtit ſe coram Pharaone, liberam Iſraelitici populi rogaturus dimiſſionem, ut ſacrificia offerre poſſet Altiſſimo in deſerto. Pharaone petitioni annuere renuente, decem plagis affligatur Ægyptus; quibus Rex perterritus tandem Moyſem dimittit unà cum Populo, cui Deus viam ſternit
* per mare rubrum, ad Moſaicæ vir- 2545
gæ contactum diviſum, Ægyptiis perſequentibus unà cum Pharaone in undis abſorptis; adeo prodigioſum tranſitum Cantico celebrarunt Moyſes, & Maria Soror, ex quo Poæſim ſuum habuiſſe initium communis ſentit opinio. Iſraeliticus autem Populus a Pharaone dimiſſus, abſque infantibus, & mulieribus, ad ſexcentos mille viros excreverat. Quibus regendis primum Moyſes inſtituit tribunal, ad contendentium Cauſas dilucidandas,atque ſolvendas,quem morem pro pacifico civili conſortio obtinendo, ſtatim, vel jam fundatæ, vel renaſcentes per orbem urbes ſunt aſſecutæ.

Egreſ-

Egreſſus ab Ægypto Moyſes, per annos 40. tamquam Dux, & Judex populo præfuit, Iſraelitis viatoribus dedit Altiſſimus inaudito prodigio opportunum viaticum in deſerto nempè manna in cibum,legiſque ta-
2546 bulas* tradidit in monte Sinai: eminente prope mare rubrum in Arabia petrea; Legis Prevaricatorem ſtatim ſe exhibuit populus adorato vitulo aureo, ad cujus aſpectum irritatus Moyſes,hebræos increpat, ab idololatria avvertere fatigatur, conſtru-
2552 ctoque Tabernaculo* Aaron Moyſis frater in primum hæbreorum pontificem eſt conſecratus. Detractor Populus contra Moyſem, & Aaronem, Serpentis igneis plectitur. Chore, Datan, & Abiron Moyſi, & Aaroni obtrectantes terrę hiatu abſorbentur,
2553 circa quæ Tempora * Balaam falſus Propheta à jumento redarguitur, & Job Princeps in terra Us, inter Idumęam, & Arabiam ſita, vir juſtus, & timens Deum, tribulationibus probatus, poſteris patientiæ exemplum ſe exhibet, cujus vitam a Moyſe, ut creditur ſcriptam, ſacræ Paginæ commendant. Celebris erat tunc temporis inter

inter Idumeæ Urbes Theman, litera-
rum ſtudiis nobilitata, & frequenta-
ta. Moyſi in Monte Abarim * e vivis 2584
ſublato, ſuccedit in regimine Judi-
ciario Joſue, cujus imperio * Sol ſtetit 2585
contra Gabaon Paleſtinæ urbem, ut
opportunum tempus nanciſceretur
victoriæ; ex quo miraculo ſolaria hor-
rologia adinventa fuiſſe, nonnullis
placet aſſerere; ſimiliter ad Joſue
imperium Populus ſiccis undis tranſ-
meavit Jordanem, ut liberum arca
Domini tranſitum ſortiretur, ad cu-
jus aſpectum, pſallentibus Sacerdoti-
bus, Jerico muri * corruerunt. Ci- 2586
vitas palmarum vocatur Jerico, me-
morabilior in poſterum facta, eo quòd
in deſerto prope hanc urbem Chriſtus
quadragenarium jejunium compleve-
rit, & ibidem tentatorem Dæmo-
nem confuderit. Non longè a Jerico
etiam fons emanat, cujus aquas jam
pridem amaras Eliſęus dulcoravit.

Eadem ferme tempeſtate, qua Je-
rico muri corruerunt, Dardania poſt-
modum Trojas dicta, fabularum vi-
varium, in Aſia minori intra Phry-
giam ſua erexit ædificia, ubi Apollini
Delphicum templum ſacravit; cunctis
na-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nationibus, unà exceptà Judaica a veri Dei cultu tunc declinantibus, ſibique ad placitum ſomniatas Divinitates proponentibus. Sed unicum, & verum Dominum, cui mare, & terra obedientiam præſtant, merito Deum ſuum prædicat, & colit Judaicus Populus, tot tantiſque prodigiis
2587 terram promiſſionis Canaam * ingreſſus. Statim Dux Joſue ſingulis Judaicis tribubus Palęſtinam dividit; nec multò poſt Aaron ſoluit debitum mortis, ejuſque filius Eleazar Pontificiam aſſumit dignitatem.

Hebræus Populus in Palęſtina corruptis moribus factus, a Deo vindi-
2591 ce Meſopotamiæ Regis ſervituti * ſubiicitur, & a peccatis reſipiſcens liberatur. Sed iterum recidivus, iteratam experitur ſervitutem ſub Meſopotamiæ Rege, ſub Moabitis, Cananęis, Madianitis, Philiſtęis vexatus. Prima ſervitus fuit Annorum 8., ſecunda 18., tertia 20., quarta 7., quinta 18., ſexta 40.. A prima ſer-
2599 vitute redemit * Otthoniel Dei popu-
2601 lum, a quo Adoniſedechus captus * mutilatur. Hoc ævo fuit Michas Idoli auctor, quod Iſraelitæ ex Tribu Dan uſ-

uſque ad Samuelis tempora coluerunt; qua de re repetitæ ſervitutis jugo fuerunt Iſraelitæ ſubacti. A Moabitarum vexationibus Aod dictus vigilans * Hebræos eripuit. A tertia 2679
* Debora, a quarta Gedeon, qui re- 2719
pentinam de Medianitis * reportavit 2758
victoriam.

Inter hoc ævo excitatas Urbes, commendantur a Tyriis,& Sydonibus ędificatæ, de quibus fit in ſacris Paginis mentio. Sydon, & Tyrium civitates maritimæ in Phęnicia, divitiarum affluentia, & maritimarum copia virium, fuerunt in toto Oriente ſpectabiles. Plures etiam aliæ conſpicuæ Urbes ſuum norunt initium,
nempe * Cyſicus in Eleſponto, Mile- 2771
tus in ora Maris Egæi * Thebes jam 2779
ab anno 2620. in Beotia a Cadmo
condita, nunc * muris circumvalla- 2780
ta: In Poetarum operibus celebris, cujus magnificentia fabulis aditum reſeravit; ejus circuitus ad 140. ſtadia protrahebatur, per centum portas advenis patebat ad eam ingreſſus, ſeptem centena hominum millia ad arma diſpoſite ſuo fovebat in gremio, quæ omnia refert Tacitus in itine-

nerario Germanici. Ab Alexandro Macedone poſtea ſubmiſſa, pœne ad nihilum fuit redacta.

Servitutis quintæ Jugum Dei populo impoſuerunt Philiſtęi, & Am-
2795 monitæ * Jarin judiciariam poteſtatem exercente, cujus ſucceſſor Jeph-
2817 te * Judex magni nominis factus eſt Iſraelitarum a ſervitute redemptor.
2849 * Ejus votum in filiæ ſacrificio adimpletum, ob partam contra Ammonitas victoriam ſatis eſt celebre: ſicut etiam de Tribu Ephraim, quam ſuſtinuit adverſam 42. mille interemptis triumphaſſe, ferè eſt omnibus notum. Agamemnones Argorum Rex Græci
2850 exercitus tunc ductor erat * contra Troiadē, a quo pro Gręcorum victoria ſacrificatam fuiſſe Iphigeniam finxerunt Poetæ: ſub vero ſacrificio Jephte, Agamemnonis coætanei fundata fuit a ſcriptoribus fabula. Vitam exitu infæliciſſimo etiam clauſit in hujus ſæculi meditulio Hercules, de quo plura fabulantur Poetæ, ejuſque Filius Argon primus Lidiorum Rex ſalutatur. Regnante in Troiade Priamo, Trojas, ob Helenam Menelai Lacedemoniorum Regis uxorem, a Pari-

de

de Priami filio raptam, fuit in duræ obſidionis anguſtiis, coacta Lacedemonibus obſidentibus poſt decennium cedere, miſerè *flammis con- 2861
ſumpta. Florebat tunc temporis ſibilla Delfica, quam ceciniſſe fertur naſciturum ex virgine Prophetam.

Delfis in Græcia propè montem Parnaſſum eminens, orbi univerſo celebris enituit ob templum Appollinis, ad cujus oraculum undequaque adventabant copioſa ferentes munera, quotquot ventura curioſius inveſtigabant. Statuas æris quingentas inter alias opes ab hoc Templo Nero Imperator eripuit. Quidquid verò, tam de Apolinis oraculis, quam de Hercule Poetæ finxerint: ſine ulla fictione diſcimus ex ſacris Paginis, de Sampſone Iſraelitarum Hercule, mirabilia proferentibus, hiſce temporibus in lucem edito de Tribu Dan, Manue filio, ab Angelo Matri ſterili anunciato, nazareo more enutrito. Juvenilibus adhuc in annis contriviſſe Leonem, teſtatur ſcriptura, ſicut & jumenti armatum mandibula mille mactaſſe Philiſteos, a quibus in Gaza captus *(urbe de tribu Juda in Pa- 2880

leſtina, ab Alexandro poſtmodum deſtructa, & a Conſtantino reſtaurata) eoſdem deludit, januis civitatis avulſis, priſtinæ reſtitutus libertati; ſed reciſis per Dalilam cum capillis & viribus iterum factus captivus, templo
2887 ſubverſo * una cum 3000. Philiſthæis occubuit, ſuperſtite adhuc Heli Sa-
2900 cerdote, cui ſucceſſit Samuel * natus ab Helcana Levita patre, & Anna ſterili matre de tribu Beniamin, a parentibus domino conſecratus. Factus
2940 in virum * Iſraelitarum regimine condecoratur. Senio confectus, cum filios ſuos Iſraelitis regendis præfeciſſet, & nimis violenter ſe gererent, eorumdem regiminis pertesi Judæi petierunt Regem. Tunc Saul de Tribu Beniamin, vir ætatis annorum 39. inter Prophetas apparuit, & Domi-
2941 no præcipiente * unctus fuit in Regem primum Judæorum, cum per unius ſæculi circulum jam Latium parère didiciſſet regibus, quos omnes regali titulo aſſumpto præivit Piccus Saturni filius, cujus Pronepos Latinus, hic Latio nunc agro Romano nomen fecit: Latino ſucceſſit Eneas cum Troja poſt Clamoroſam obſidionem

nem a Græcis capta ſecedens, Italiam apulit, & Latini filia in uxorem ducta, Latii regni, tunc valdè anguſti jura aquiſivit. Plura Virgilius in ſuis Eneidis de Enea, & Aſcanio patre fabulatur. Dum Eneas dominationem in Italia ſibi vindicat. Amazones per Aſiam victrices, arma circumferunt, & Sibilla Cumana in antro a Virgilio deſcripto ſuas loquitur Divinationes. Amazonum Regnum purum eſſe figmentum, ſunt qui autumant; non improbandę tamen fidei auctores, de hoc regno plura commemorant, quæ non modicam lectorum excitant admirationem: Si Quinto Curtio habenda fides,ex eo diſcimus Taleſtrim Amazonum Reginam properaſſe ad Alexandrum Macedonem. In Aſia minori, extendebatur hoc regnum, in quo mulieres nullum Incolam Virum patiebantur. Nihilominus cum propinquis, & Advenis viris convenientes, quæ fętu ſuſcepto factæ erant puerperæ, maſculis interemptis ſolas ſervabant fœminas, quas in arcus, & ſagittæ exercitio educabant, dextera abſciſſa mamma, ne eſſet in bello im-

pedimento ad vibrandam ſagittam, ſiniſtra relicta, ut lactentes enutrirent. Sicque ad bella diſpoſitas Amazones proceſſiſſe contra reges confines ad prælium, & de pluribus triumphaſſe, non pauci aſſeruere.

CAPUT III.

CUm Athenienſes, qui jam ab Anno 2448. Regibus parebant Monarchici pertæſi regiminis, creatis Archontis, magiſtratibus obedientiam preſtare pro bono Reipublicæ regimine ſatius eſſe decreviſſent; in adverſam proni ſententiam Iſraelitæ regibus ſeſe ultro ſubmittere expetunt, & Saulem uniſſonis vocibus *vivat Rex*
2942 * Regem proclamant. Fuit Saul primus inter omnes Reges oleo inunctus: ſtatim Ammonitas Judæis infenſos hoſtes confregit, ejuſque filius Jonathas cum victoria Philiſteos aggreditur, ad cujus patrem ſpiritu maligno
2970 agitatum * ductus eſt David, factus
2971 in funda triumphator * de Goliath Philiſteo. Triumphatori, plaudente Populo, Saul ægrè tulit Davidis laudes, quem proinde interimere medita-

tatur; ab imminenti periculo ope Jonathæ ereptum. Moritur Samuel ætatis annorum 97. & paulo poſt Saule * e vivis ſublato, necnon Jonatha 2979
in bello fatis cedente, David Filius Iſai, de Bethleem Juda, annorum 30. * 2980
inauguratur in Regem; ſtatimque parta contra Amalecitas victoria, Dei arcam ad ſe reducere * decrevit, 2982
quæ plauſtro impoſita, nullo rectore à juvenculis in fines hebræorum devehitur. Tunc contigit Ozam morte improviſa fuiſſe correptum, eo quod manum extendiſſet ſuper Arcam. Betzamitarum etiam ſupra 50. millia divinitus pereunt, Arca curioſius inſpecta. Funeſti caſus atrocitate perterritus David, Levitis arcæ reductionem præcepit, pro quà cuſtodienda templi ædificium molitur, cujus conſumationem Salomoni Deus reſervaverat.

Salomonem à Berzabea * genitum, David regni ſucceſſorem deſignat. Berſabeæ amore captus duplici crimine Rex ſe fædaverat, nempe cęde Uriæ Berſabeæ conſortis; & adulterio; quorum criminum Nathan profetam repræhenſorem habuit, & 2996

in umilitate ſuſtinuit, factus cunctis Regibus dignum Contritionis exemplum. In ſceleris tamen pœnam Abſalonem filium ſuum primogenitum, Ammonis fratricidam contra ſe ellevatum lacrimatur, cujus vexatio-
3007 nem declinaturus * à Regia ſecedere cogitur. Siquidem inhumanus filius ſtipatus milite, patrem aggreſſus, e Solio deicere ſibi propoſuerat; ſed mortuo (Deo Vindice) Abſalone propriis ſuſpenſo crinibus, & lanceæ ictu à Joab confoſſo, iterum Jeruſalem reverſus David, longa fruitur Pace;ampliatiſque regni ſui confiniis, vanitate ſtimulatus, populi numerationem præcepit; qua de re irritatus Altiſſimus, ſtatim peccatum ſecuta eſt pœna, & peſtilentiali morbo, populum ad 70. millia trino dierum ſpatio devaſtante, Davidis vanitas humiliatur, cui ſatius fuit incidere in manus Dei, quam in manus homi-
3020 num. Jamque ſenio confectus * mortem oppetiit, non ſine ingenti ejus amicorum luctu, inter quos fuit Hiramus Tyriorum Rex, ſingulari cum Davide amicitiæ fædere junctus. Circa hujus ſæculi initium vixit Sibilla

Eri-

Erithrea;circa exitum Danus primus regnat apud Danos, iiſque nomen fecit. Præneſte etiam, & Tuſculum frequentari cæperunt.

Glorioſa fecit Salomon regni ſui primordia, excitato templo, cujus magnificentiam exprimunt Sacræ paginæ. Quarto ab Aſſumptione regiminis anno abſoluto, duxit Pharaonis Regis,dictiVaphres*filiam in uxo- 3023
rem. Celebrata poſtmodum a Salomone inter omnes ſapientiſſimo ſolemni pompa * dedicatione templi, 3030
ſuæ ſapientiæ, Divitiarum, & potentiæ admirabundam Reginam Sabam regali in urbe recepit. Salomonis Sapientiam fuiſſe ſupra famam tunc Regina Saba (Regni ditiſſimi in Arabia felice erat urbs Saba metropolis) ſuo comprobavit experimento. Falsò tamen liber clavicula Salomoni adſcribitur. Fuit Salomon ferè omniſcius, & nihilominus ab extraneis mulieribus corruptus, incenſum obtulit diis alienis. Celebrat adhuc in preſens fama Salomonis judicium, inter mulieres de filio contendentes, prolatum. Poſt 40. annorum regnum
* hominem exuit Succeſſore Roboam, 3059

juniorum potius, quam Senum aquievit Conſilio. Quapropter ejus regiminis pertefus Populus, dominationis jugum excutit, & decem tribus ſegregantur, duabus tantum ſub obedientia perſiſtentibus; diviſum eſt Regnum David, in Regnum Juda, cui præfuit Roboam, & Regnum Iſrael, cui inauguratur Jeroboam, jam pridem in domo Salomonis famulus, cum etiam diu apud Sezac Egypti Regem delituiſſet, quò Græci profecti, & inde ad propria reverſi, doctrinarum ſtudia ad ſuos reportarunt.

Ab Egypto Jeruſalem Sezac tranſgreſſus, ſtipatus milite, expugnata
3063 urbe * templi, regiique pal..cii pretioſiora deprædavit, tranſtulitque in Egyptum, ubi completam expeditionem ſuam in tabulis proponens, Geographicarum tabularum rudimenta reliquit.

Excitarunt hoc ævo, quo Hiſpanis imperant Celtæ, Etruſci Bononiam, annis 200. circa, Roma vetuſtate nobiliorem. Bononia vulgo Pinguis dicta, omnium penè frugum pinguedine abundans, Romano poſt-
mo-

modum ſubdita imperio, circa octavum ſeculum in Rempublicam ſeſe compoſuit, quæ nemini tunc temporis in Italia viribus, divitiis, & populi affluentià ſecunda, non modò per triennium 40000. præliantium exercitu munita, Rempublicam Venetam opugnavit, ſed Federici II. Cæſareis viribus ſe conſtanter oppoſuit. Etiam hoc ævo Smirna, Epheſus, & Samos ſuum ſortiuntur initium, & Heraclidarum ſive Herculis ſucceſſorum poſtremus, nomine Prymus regnat Corinthi, cum Roboamus, morte præventus Regnum * ab- 3076
ſolvit.

Roboamo ſucceſſit Abias, Abiæ
Aſa * in Regno Juda: Jeroboamo 3079
Nabadus, Nabado Baaza in Regno Iſrael. Aſa pietati addictiſſimus, templo dicavit pretioſiora, quæ Abias à victo Jeroboamo abſtulerat. Religioſiſſimi patris dignum ſe probavit
Filium Joſaphat * Regno potitus, cui 3120
Deus ſemper fuit propitius. Prodigioſam ſuper Ammonitas obtinuit victoriam, à Michea Propheta enunciatam: ipſo regnante, ſterilitate facta, Elias propè torrentem victi-

tans, cœlitus à Corvo miniſtrante ſuſcipiebat annonam, & igne de cœlo obtento ſuccendit Sacerdotes Baal; qua propter ira excandeſcit Jezabel, non minus impia marito Acab, etiam Idolorum cultui addicta: muliebrem furorem declinaturus Elias, in deſertum commigrat, ubi coram Elizeo
3139 eſt raptus ad Cœlum* Elizeus pluribi etiam mirabiles fecit potentias Domini, ſive cum viduæ olei lenticulam multiplicavit, ſive cum Naamum Syrium à lepra fatigatum ſanitati reſtituit. Defecerat circa medium præteriti ſæculi improbum Athaliæ conſilium, quæ ſuper ruinam Davidicæ ſtirpis erigere contendebat ſolium ſuum, ſuperſtite Joas Oziæ filio ſeptenni, ope magni Pontificis Jojadas à mortis periculo erepto, & coram populo in regali ſolio conſtituto. Joas ſententia, morti adjudicatur Athalias, & dignum ſe exhibuit principem, uſque dum Sanis Jojade acquievit conſiliis, quo mortuo adulantium aulicorum ſenſibus adhærens, in omni abominatione confenuit. In Zachariam virum probum, ejus juſſu lapidibus obrutum inter-
tem-

templum, & Altare, ſevire non erubuit: Tandem Deo vindice à duobus famulis uno Ammonita, Moabita altero, & ipſe * interemptus, vivente 3193
adhuc Eliſeo, qui prope centenarius prodigiorum patrator mirificus * placidè obdormivit, mirabilior etiam 3204
poſt mortem, quandoquidem ad ſui Cadaveris contactum, vivificatur Defunctus.

Eliſeo in tumulo prodigia vitæ operante, vivus tumulatus * in ventre Ceti Jonas Amarhi filius; eo quod 3211
contra Domini præceptum, non ad Ninive, ſed ad Tarſis urbem voluiſſet divertere. Poſt triduum è Ceti ventre eductus, Ninivitis prædicavit pœnitentiam, quam in cinere, & cilicio aſſumpſerunt, ut facerent Deum ſibi placabilem, à Ninivitarum malitia, quæ jam propè in immenſum excreverat juſtè irritatum. Ninive Aſſyriorum Regia, a Nino Beli, ſive Nembrodi filio, ex familia Cam extructa, civitas erat magna itinere trium dierum per circuitum quà ampliorem non vidit orbis terrarum.

Initium habet hac ætate * numeratio per Olimpiades, à ludis Olimpi- 3224

cis nomen ſortita. Olimpiades quadriennio abſolvebantur, ſicut nunc luſtrum quinquennio perficitur. Conſueverunt Græci quarto quoque anno Olimpicis exerceri in ludis, qui ſpeciem præſeferebant conflictus. Olimpi Civitas in Peloponenſi, ludorum erat Theatrum. Hinc ludi Olimpici, & per Olimpiades inducta enumeratio.

3240 Circa hujus ſæculi meditulium* Macedoniæ Regnum à Carane ex Herculis proſapià ſtabilitur, cujus Regni dominationem glorioſiſſimus Alexander Magnus, penè uſque ad ultimas Orbis oras, poſtmodum ampliavit: hac etiam tempeſtate Rhodium in inſula aſiatica erigitur, toti mundo celebre, non tam ob inſignes viros, quos genuit, inter quos Diagoras, ſed ob celeberrimum coloſſum Soli dicatum, qua propter urbs Solis dictum fuit Rhodium, cujus clima adeo eſt temperatum, ut nulla anni dies prætereat, in qua Sol Rhodio non eluceſcat. Septuaginta cubitorum altitudinem excedebat Rhodienſe Colloſſum, cuius baſes ſuper ſcolia in portus ingreſſu hinc inde ſita conſolida-

lidatæ, liberum navibus tranſitum relinquebant; ultra Millenarium poſtquam fuerat erectum, à terræmotu proſtratum. Nobilis hæc Civitas diù fuit ſub Græcorum, mox Romanorum Imperio. Anno 654. ære vulgaris Sultanus Ægypti Rhodium ſibi ſubjecit. Anno 1309. à Saracinorum jugo per æquites Jeroſolimitanos vindicatur. Sepe, ſed in caſſum totis viribus aggreſſi ſunt Turcę Rhodum repetere, ſed Rhodenſium equitum virtuti cedere ignominiosè fuerunt coacti, tunc maximè cum Othomano Obſide, Amedei IV. Sabaudiæ ducis fortitudo Rhodum tenuit, a Foroneo Argorum Rege fundatum* 3240
Cartago etiam circa hujus ſæculi medium natale ſuum celebrat, à Didone Tyriorum Regis ſorore extructa, cum Licurgus Spartanorum Legislator apparuit integerrimus. Prophetizarunt hac ætate* Amos, deinde Oſeas cen- 3250
tum quadraginta annis vita functus, nempè ab anno 3236. uſque ad 3376. Oſeæ contemporaneus fuit Joel, ante cujus deceſſum vixit Iſaias, natus anno 3270. mortuus 3338. Primus in ordine Prophetarum, quippe qui

inter cæteros adeo clarè futura anunciavit, ut hiſtoricus potius, quam Propheta videatur. Abdias etiam hoc ſæculo, ſicut & Micheas Prophetarum cætui adſtipulantur, itaut meritò hæc Phrophetarum ætas poſſit nuncupari.

Inter omnes antiquas Æras pro-
3250 phanas, memorabilior in univerſo* Æra acceptatur, ex fundatione Romæ deſumpta, à Romulo ſuper palatinum montem conſtructæ. Fuerat Romulus una cum Remo fratre, à Romulo poſtmodum trucidato, juſſu patrui Amuli, Feris expoſitus, ſed à regio paſtore Fauſto ab exitio ſervatus, jam factus adultus, Numitorem ab Amulo expulſum Latii regno reſtituit. Numitore defuncto, regno potitur Romulus, qui collecta undequaque diſperſorum hominum multitudine, Urbem excitat, Muris circumdat, Romam à ſuo nomine appellat, & ad continendos in civili conſortio jam adauctos Romuleos, Senatores 100. præfecit, quos etiam Patres vocavit. Non paulò poſt Romulei cum Sabinis bellum ineunt, ex raptu Virginum Sabinarum à Romanis facto,

quæ

quæ Romam ludorum ſpectatrices advenerant, excitatum Inter ludos, ſive ſpectatrices, ſive actrices interſint Virgines, ſemper periclitatur earum caſtitas; adeo preſtat virgines, virorum ludis nunquam intereſſe, ſi cupiunt ſuæ honeſtati conſulere. Aſtronomos hiſce temporibus floruiſſe inſignes, docet prædicta ante aliquot annos propè ſecutura ecclipſis Solis, quam de facto die 24. Junii * fuiſſe 3263
ſpectabilem non controvertitur.

Contigit hoc anno * viſio mira- 3277
bilis Iſaiæ Prophetæ, de qua Cap. 6. ſermonem inſtituit, ex cujus vaticiniis medicos magnoperè ab hebræis cultos fuiſſe colligitur, quibus poſt Amaſiam præfuit in regno Judæ Oſias, à quo plures in Judea Urbes ædificatæ fuerunt, cum in Ægypto Ramuſis Rex, in unius conſtructione Obeliſchi, tantum opus, & aurum impendit, quod ad conſpicuæ Civitatis ornatum ſufficeret. Hoc eſt Obeliſcum magnum, omnium maximum, ante Lateranenſem Eccleſiam à Sixto V. erectum; ope 20. mille hominum præcipiente, & expenſas in pendente Ramuſi Rege elaboratum. Mirabi-

rabilis utique fuit Ægyptiorum Regum potentia, & induſtria in Obeliſcorum conſtructione ad ſuam Poſteris perennandam memoriam, ſed quid non abradat tempus, quid non invertant viciſſitudines, vix erectæ ab Ægyptiis Regibus innenarabili diſpendio Piramides, ſupervenientibus bellis poſternuntur. Deficit ipſum Ægyptiorum in Aſia Imperium, in plures regulos diviſum, naſcente Roma, cui erat ſubiiciendum; Defeciſſe etiam circa hanc ætatem in extrema çanitie Homerum, poetarum Principem, ab omnibus commendatiſſimum, Meleſigenes nomine, ſed à ſuperveniente cęcitate Homerum nuncupatum, aliqui autumant; alii verò anno 3029. vitam ſortitum eſſe aſſerunt; de ejus patria nihil colligitur certum. Indubium tamen eſt ſuperſtitioſo cultui fuiſſe addictum, ad
3293 quem declinat Impius Acaz * factus Idolorum cultor, in ſcelerum pęnam à Rege Syriæ debellatus, nec non aliis pluribus probatus calamitatibus. Sed humiliatur ſub manu Dei
3308 potentis, regnumque aſſumit * ejus filius Ezechias, qui ſtatim omnia Patris

tris Idola evertit, divinum ut par eſt zelatus honorem. In Matemathicis ſcientiis apprimè excultus, anni judaici reformationem aſſumpſit, inducta intercalatione menſis Niſan, menſi Martii correſpondentis.

Commendatur ſub Regno Æzechiæ Tobiæ pietas, à Salmanazare Aſſiriæ Rege Ninive, cum aliis judęis in dura captivitate detenti; hic lumine orbatus * præbuit Sanctæ reſi- 3313
gnationis exemplum, jugiter ſe Deo commendans. Deus verò quantum preſtò ſit in ſolamen ex corde poſcentibus, didicit proprio experimento Æzechias, in cujus auxilium miſit Altiſſimus Angelum ſuum, à quo una nocte 185000. milites exercitus Senacherib Jeruſalem obſidentis, & Æzechiam * oppugnantis in gladio 3314
delentur. Sed poſt biennium Aſſirii iterum exercitu inſtructo, duce Theglat phalaſar, Damaſco potiuntur, Syriam invadunt, incolas captivos ducunt. Hiſce in anguſtiis decem tribus captivæ conſolatorem habuerunt Nahum Prophetam; ſicut & Tobias Junior conſolatorem expertus eſt, & ducem in via Angelum Raffaelem, qui

qui factus eſt etiam ſolamen Patris, quem priſtinæ ſanitati reſtituit.

Pauſaniæ fides non habenda, qui inſtituta fuiſſe aſſerit hac ætate numiſmata, auri, argenti, & æris, quibus rerum omnium commercium paciſcitur, longè enim vetuſtiorem fuiſſe Numiſmatum uſum, ſupra jam ex venditione Joſeph comprobavimus. Verum quidem eſt, quod Numa Pompilius, ſecundus poſt Romulum Rex Romanorum, primus in Urbe nummos invexit, qui poſtmodum ab introductore Numa, etiam ſortiti ſunt nomen. Numæ debet Roma plurium Templorum ædificiorumque ad Urbis ornatum, & Capitolii, ad ejuſdem propugnaculum, extructionem. A menſe Januarii annum, qui prius a menſe Martii, exordiri mandavit. Sub hoc Principe propagari cæpit Romanorum ditio, roborari potentia, & dilatari gloria in occidente; decreſcente è converſò in Oriente Judeorum Regno; Samaria enim per Sal-
3317 manaſarum Aſſiriorum Regem * captà, penè ad nihilum deducitur Hebræorum Reſpublica: Decem tribus cum Rege Oſea captivæ ad Aſſirios abdu-

abducuntur; actumque eſt Regnum Iſrael, poſt duram trium annorum Samariæ urbis obſidionem, ſuperſtite adhuc in Regno Juda Æzechia, qui cum mortem propinquam, ſibi ab Iſaia annunciatam intellexiſſet, lacrimarum imbre perfuſus, obtinuit à Domino adhuc per quindennium prorogari ſententiam, ex ſolis miraculo, ad decem horas retrocedentis, comprobatam.

Regni Juda hereditatem ſortitur * Manaſſes duodennis, Æzechiæ filius, qui ad omnia peccata declinans 3337
Iſaiam Prophetam ſerra lignea per medium abſcindi immaniter præcepit. Tot abominationibus irritatus Altiſſimus, Aſſiriæ Regem excitat * 3361
contra Manaſſem, ſtatim victum, & vinctum, Babilonię exulare coactum, populi multitudine tunc floreſcentis, quà ſtatim enituere Siracuſa, & Catanea, in fundatione cœnæ, Populi frequentià non impares, diù ſub reipublicæ forma libertate potitæ, quam Hebraicus Populus ſub Babilonico Rege, captivus perdiderat.

Inter captivitatis anguſtias Manaſſes ad ſanam mentem contrito corde

corde reverſus, Deo opitulante, libertati reſtitutus, ad propria reggreditur, ubi pietatis operibus infatigabiliter addictus, Holofernem Judeæ
3381 invaſorem * timens, ope Judithæ de tribu Simeon ſpecioſiſſimæ Viduæ, de Holoferne mirabiliter triumphantis, cum ingenti gaudio timorem excutit: Betuliam urbem de Tribu Zabulon in Galilea ab obſidione liberam
3394 gratulatur, ſolutoque mortis debito * Amon Manaſſis filius ad biennium regimen aſſumpſit, ſucceſſore Joſia inter omnes prædeceſſores Reges prudentia, Pietate, Religioniſque zelo commendatiſſimo.

3406 Prophetat Hieremias * ex familia Sacerdotali genitus in terra Anathot, ab ipſis Judeis, quorum redarguebat ſcelera pluribus impetitus tribulationibus, in quorum pœnam iterato tribulantur Hebræi, & Nicanore Rege Ægyptio arma gerente, telo
3425 confoſſus * moritur Joſias, ſucceſſore Joachas in Regno Judæ, qui iterum per Regem Ægypti vexatus deponitur, & Æliacim frater ſubrogatur: ſed prævalente ſuper Ægyptum, & Judam Nabucodonoſoris exercitu *

Jeru-

Jeruſalem captà, expoliato templo. Rex ipſe cum aliquibus pueris ex ſanguine regio ducitur Babylonem captivus. Captivitatis ſocii fuerunt Ananias, Miſael, Aſarias, & Daniel ſpiritu ditati Prophetico, quæ mala eodem ſpiritu longè antè lamentabatur Jeremias, Hebraicum Populum inter tot calamitates,in Ægypto profugum, ſed nihilo melius factum excitans ad reſipiſcentiam; pro benemeritis ab ingrato, & obdurato Populo tandem in urbe Taphnes in Ægypto lapidibus * obrutus; Regnum 3446
Hebræorum cum Nabucodonoſoris beneplacito tunc gerente Sedecia, idololatrię abominationibus coinquinato, contra quem irritatus Nabucodonoſor, iterum ſtipatus milite, Judeam aggreditur * Sanctam Civitatem evertit, captivi facti ſunt Cives, & Sedecias Rex una cum filiis alligatus eſt in Compedibus. Tunc vaſa templi,quæ Deo vero ſacra erant prophano ritu Diis ſuis Rex in Babilone dicavit, ubi à Senum injuria Daniel, de tribu Juda, caſtam vindicavit Suſannam, & Regis ſomnium de ſtatua, quatuor compaginata metallis expli-

explicuit. Æzechiel etiam ex ſtirpe Prophetarum anno quinto Captivitatis ſuæ Prophetiæ ſpiritu afflatur, nec non circa hæc tempora Coevi Sophonias, Baruc, & Abachuc prophetarunt.

CAPUT IV.

3447 EXtinctis Regibus * in Sedecia, ſub cujus oculis ejus filii victimę factæ fuerunt militaris furoris, reliquiæ Judaici Populi, quæ in Juda, & Jeruſalem erant ſuperſtites à Joſedecho Pontifice colliguntur, & gubernantur; Judeorum verò, qui Babylone erant captivi, Zorobabel ex ſtirpe Regum Juda directionem aſſumpſerat. Interim Nabucodonoſoris in dies, ob vaſtitatem adauctæ dominationis, intumeſcens Superbia, iuſto Dei judicio umiliatur, inopinato ſiquidem ab aulà aufugiens, & inter Silvas beluarum more curſitans, ibidem per ſeptennium de ſiliquiis victitavit, donec cognità Dei potentia, ad ſanam mentem reverſus, iterum Regimen
3470 reaſſumpſit * & paulò poſt morte dimiſit. Sub Nabucodonoſoris captivita-

vitate, anno ſcilicet 3440. Ezechiel viſionem habuit multitudinis oſſium reviviſcentium, & Daniel quatuor Monarchias in quatuor Animalibus monſtruoſis figuratus conſpexit, nempè Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum: cum jam per plura ſęcula floreret Sinenſium Imperium, ubi Confuſio, primus inter omnes Sinenſes Doctores Philoſophus * moralia explanabat documen- 3480
ta, magnus Magiſter Scientiarum, Rex Illuſtris, Sapiens, & Sanctus ab auditoribuis ſuis commendatus. Solonus etiam rerum gerandarum peritia celebris, Athenienſibus pro ſaniori regimine, circa hanc ætatem, meliorem in formam redactas exhibet leges;& Sybilla Heleſpontina Eclipſim in Chriſti morte futuram vaticinatur. Cum Aſſyria Dianelis oracula excipit.

Aſſiriorum Imperii primordia excitaverat Nembrodus, ſed ampliorem, melioremque in formam redegit Ninus: dominationis hujus emporium fuit Ninive, ubi Sardanapalus effeminatus, circa annum 3230. Arbace obſide Medorum Provinciæ Gubernatore, ſeſe una cum ſuis igne con-

conſumpſit, eodem fermè tempore quo immanis peſtis conſumebat Athenem, per aram ab Athenienſibus ignoto Deo erectam, ſtatim fugatam. Regum Aſſiriorum noviſſimus, poſt Nobucodonoſorem, fuit Bal-
3495 thaſar * cujus Imperio Daniel in lacu leonum miſſus, ibidem incolumis cecinit mirabilia Dei, quæ prædicarunt tres Pueri in medio Fornacis ardentis illeſi. Daniel è lacu ereptus explanavit verba, quæ Balthaſar in medio
3497 convivii * vidit ſuper murum, ab incognita manu exarata. Veram propheticam explanationem declaravit eventus; nocte enim ſequenti, Babilone per Cyrum capta, Balthaſar trucidatur, cum quo Aſſiriorum ſive Chaldeorum, vel Babiloniorum Regnum deperiit, & Perſarum dominationi poſtmodum paruit. Aſſyrii, Babiloni, Chaldei primi fuerunt Philoſophicæ Scientiæ Profeſſores, & apertis alpibus Philoſophia ad Gallos, Hiſpanos, & Britannos acceſſit
3500 circa annum * quo Maſſilia à Græcis, ſive ut aliis placet, à Phocenſibus condita fuit.

Perſarum Imperium orbi conſpicuum

cuum fecit Cyrus, cujus dominationi penè totus Oriens ſeſe devovit, quà propter ſub Cyro Perſicæ Monarchiæ computatur initium. Regnabat tunc temporis in Phrigia * 3502
Creſus inter omnes ſui temporis Reges ditiſſimus, apud quem Eſopus propter ſuas morales fabulas acceptiſſimus vixit. Solonus celebris Philoſophus Creſum de ſua fælicitate, & divitiis ſuperbientem ſcitè monuit, hominum fælicitatem à fine vitæ, eſſè comenſurandam, quam veritatem Creſus proprio comprobavit experimento, per Cyrum enim Perſarum Regem * captus, ex Rege 3510
ditiſſimo, inter compedes mancipium factus deceſſit. Sed & ipſe Cyrus adverſæ fortunæ vices eſt miſerè expertus; Nam à Tomyri Meſſagenorum Regina in bello captus eſt, & interemptus: cumque ejus caput in utre ſanguine umano pleno Reginæ juſſu fuiſſet immerſum, ad illud Tomyris (quaſi Cyrum alloquens) converſa, ſæpe repetebat ſatia te ſanguine umano. Cambiſes Cyri Filius, patris exemplo edoctus mitiores induens ſenſus, Judæis Ba-

bilone captivis reggreſſum indulſit ad Urbem Jeroſolymam. Perſicæ verò Monarchiæ Imperatorum ſeriem Darius claudit, iterato ab Alexandro confligatus: ex hujus Monarchiæ deſtructione, reviviſcere viſa eſt nova dominatio, nempe.

Græcorum Imperium, cui inauguratur Alexander Philippi Macedonis Filius, & ubique Triumphator, totam penè Aſiam ſubegit. Sed antequàm Alexander Græciam ſibi vindicaret, hæc plura partitâ erat in Regna, extenſione quidem parva, ſed aliis nominibus celleberrima, inter quæ Sicion, Arguin, Athenes, Sparta, Corinthus, Micenes commendantur. Septem Græciæ Philoſophorum nomina ſunt Tales, Pſitacus, Bias, Solonus, Cleobolus, Miſonus, & Chilon, quorum ſententias laconicè expreſſas; vix eſt, qui ignoret. Effimerum fuit Græcorum imperium, ab Alexandro inceptum, & in ejus morte conſummatum.

Romanorum demum Imperium, primitus in Regnum erectum, à prima inſtitutione ſolum occupabat Latium, Romam jam ab anno 3250. exci-

excitaverat Romulus, cui ſex alii Reges ſucceſſerunt, inter quos primus regnat Numa Pompilius Romuli filius, ſub quo cæcinit Sibilla Samos. De qua S. Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei mentionem facit. Suiſque in oraculis de Dei veritate, de creatione mundi, de idolorum contemptu, de Xpo Jeſu Dei Filio, de præmio bonis, & pæna malis à Deo præparata ſermonem inſtituit. Poſtremum ex ſuis Regibus horruit Roma Tarquinium Superbum, anno 3494. ad Regnum aſſumptum, Tirannum ſe exhibuit, ejuſque tirannico Regimine perteſi Romulei, maximè ob vim à filio Tarquinii Lucretiæ illatam, Bruto perorante, Reges expellunt; ſed Porſena Rex Etruriæ, ut Tarquinii ſtirpem Romano regno reſtitueret anno 3497. cum valido exercitu Romæ factus eſt obſes, quà in obſidione Mutii Scevolæ conſtantia, & amor patriæ enituit; cum enim hoſtili penetrata acie, ſecretarium pro Rege obſide, deceptus pugione confodiſſet, ſtatim captus exprobratur à Porſena, eo quod adeo immane fa-

cinus attentaſſet, cui Mutius, ſcias Rex ſub jure jurando me obſtrinxiſſe pro libertate patriæ ad te inter tuas cuſtodias meis manibus interficiendum. Statim prolata fuit à Porſena ſententia, Scevolæ amputatam audacem manum comburi, quo audito, Mutius intrepidus tortorem præveniens igni manum admovit. Tantam admiratus Porſena Coſtantiam, Mutium ad urbem liberum remittens, obſidionem diſſoluit. Deinde bellum Romani Sabinis intentant, quibus fæliciter ſubactis, Romæ primus ovat Poſthumius Tubertus, à Sabinorum prælio victor regreſſus. Creantur poſtmodum Conſules. Conſulatum primi aſſum-
3518 ſerunt * Brutus, & Collatinus Lucretiæ Maritus. Roma deinde fuit ſub conſulibus uſque ad annum 3960. quo Cæſar tamquam Imperator Romanam regere aſſumpſit ditionem, jam longè, latèque diffuſam. Anno 476. Eræ vulgaris ſub Auguſtuo ultimo Romanorum Imperatore penè ſubverſam. Quantum fuerit de renaſcente Romana Republica benemeritus Brutus, diſſertè explicuit Va-
lerius

lerius Publicola Bruti Collega, à quo prima in Bruti laudem habita eſt funebris oratio. Ut ſartam tectam ſervaret Patriam Brutus, neque Filiis pepercit, quos cum in Rempublicam conſpiratores deperiiſſet, publicè fuſtibus cædi, & capite obtruncari præcepit, factus Filiorum tirannus, ut verum ſe patriæ patrem probaret. Hæc de quatuor Monarchiis, occaſionem nactus à viſione Danielis duxi inſerenda.

Jam ad Chronologicam rerum ſeriem ſermo recurrit: ad Cyrum regnantem in Perſia acceſſit Zorobabel ex Regia proſapia, Salathiel Filius, & Dei cultum in civitate ſancta reſtaurandi devotione ſtimulatus, facultatem petiit à Cyro reedificandi templum Jeruſalem, qua benignè obtenta, Judæam reverſus,* pio operi manum imponit, cui ſe oppoſuerunt Samaritæ: nihilominus obnitente Zorobabilis pietate, & zelo, ſub Dario Hyſtaſpes opus perficitur, cujus conſummationi non modicum tribuit Aggæus Propheta
*Judaici populi ſegnitiem redarguens, 3533
& Zacharias Judæos ad reſipiſcen-

 tiam

tiam excitans; Darii ipſius magnificentia impenſas miniſtrante. Tem-
3539 plo abſoluto * facta eſt ſolemnis ejusdem Dedicatio.

Poſt Darium Hiſtaſpem ſuccedit
3540 Xerſes, poſt Xerſem Artaxerſes * dictus Longimanus, & etiam nuncupatus Aſſuerus, cui Eſther ex genere hebræa, Mardochei nepos, inter captivas Virgines ſpecioſiſſima, ob ex-
3542 cellentem ſuam gratiam * Matrimonio copulatur. Eſther non minus ſpecioſa, quam prudens, ad thronum Perſarum aſſumpta, Regem demulcet in favorem Judæorum, quos omnes Rex trucidari præceperat, inſtigante Aman iniquiſſimo Conſiliario, Mardochei de regno benemeriti gloriam publicare coacto, & in eodem patibulo, quod pro Mardo-
3543 cheo diſpoſuerat * Regis ſententia ſuſpenſo.

Judæis ab imminenti periculo ope Eſther præſervatis, Eſdras Judæorum Pontifex, ab Artaxerſe Longimano facultatem obtinet reſtaurandi Judaicam Rempublicam, dum Sena in Etruria, Senegalia in Umbria con-
3550 duntur, & Nehemias * Jeruſalem muris

muris circumuallandi ab Artaxerſe poteſtate fulcitur, cujus juſſu Sacerdotes, aquà craſſà, quam in ſicci putei cavernà pro igne abſcondito invenerant, Ligna aſpergentes, ſtatim ignem excitatum admirabundi conſpexerunt, combuſtà victimà, & ſacrificio ritè abſoluto.

Hoc anno * Hebdomadæ ſeptuaginta Danielis (110. annorum vitam ſortitus eſt Daniel) habuerunt initium. In ſeptuaginta hebdomadarum periodo, mactandum fore Chriſtum agnum, pro humani generis redemptione, per Angelum Gabrielem Danieli innotuerat, ſicut de facto contigiſſe declaravit eventus; cum enim unaqueque Danielis hebdomada ſeptem contineat annos lunares, ſeptuaginta verò hebdomadæ complectantur annos lunares, ſeu hebraicos 490. qui æquipolent 474. annis ſolaribus, & hebdomadæ Danielis incæperint anno 3560. Chriſtus natus ſit anno 4000., mortuus verò ſit ætatis annorum 33. conſtat ab initio hebdomadarum Danielis uſque ad Chriſti mortem annos pertranſiſſe 474., ex quo videas circa 3560

medium ultimæ hebdomadæ à Daniele prædictæ, Chriſtum in cruce factum judæis ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Annus lunaris ſpatium eſt temporis conſtans duodecim menſibus Lunaribus, qui componunt dies 354, & horas octo. Ubi annus Solaris ſpatium complectitur 395. dierum, & horarum ſex, unde patet annum Solarem excedere diebus undecim annum lunarem.

Floruit hac ætate Herodotus Halicarnaſſeus, hiſtoricorum Pater nuncupatus, cujus fuit Auditor Thucides, celebris inter Hiſtoricos, & Empedocles ſiculus, cum præceptore Pithagora, tranſmigrationis animarum aſſertore. Fauſtiſſimum utique Mathematicis ſcientiis eluxit hoc ſæculum, quo Anaximander Zodiaci repertor aſſeritur. Cleoſtratus duodecim in zodiaco ſigna notavit; diagoras Ciclum luniſolarem invenit, Anaxagoras aſiaticus Athenis Socratem, Euripidem, & Periclem edocuit.

Apparuit etiam ultimus Prophetarum * Malachias, populum, qui à Deo defecerat comminatione extremæ diſcutionis ad reſipiſcentiam

exci-

excitans. Cum Nehemias reſtaurata Jeruſalem, ad Perſarum Regem, ſicut ſpoponderat revertitur, contra quem pugnabant Egyptii Athænienſibus confederati, hoc fulcita ſubſidio Athenes, Memphis regiæ urbis, propè magnum Cayrum conditæ, Pharaonum ordinariæ reſidentiæ, dominationem acquirit; ſed viribus aucto Artaxerſis exercitu, iterum Athenienſes ſuccumbunt, quo bello peracto, ferè in toto orbe* 3563
pax reviviſcit; legente tunc Athenis, omnium auditorum plauſu, ſuas ellucubrationes hiſtoricas Herodoto, ubi numerus aureus* à Metone Ma- 3571
thematico Athenienſi eſt adinventus. Per numerum aureum ſtuduit Methon curſum ſolis cum curſu lunæ componere, ita ut poſt renovatum circulum decem & novem annorum, ſemper eodem momento tam Sol, quam Luna curſum ſuum incipiant: quando autem Methonis periodus ſit ſtabilienda, diſconvenientia eſt inter Auctores. Circulus itaque Lunaris, dictus etiam circulus aureus, eſt revolutio 19. annorum, poſtquam Lunæ eamdem lunationem perficiunt.

Circulus autem Solaris revolutionem annorum 28. indicat, poſt quam litteræ Dominicum diem, & ferias deſignantes priſtinum ordinem repetunt. Indictio verò, annorum 15. revolutionem complectitur. Hujus computationis methodus Auguſtum Cæſarem inſtitutorem falſè aliqui aſſerunt. Triplex autem eſt Indictio, alia Conſtantinopolitana, quæ incipit die prima Septembris anni primi æræ vulgaris; alia Cæſarea, quæ à die 24. Septembris anni 312. qua Conſtantinus Maxentium ſuperavit, habet initium. Alia Romana, quæ die prima Januarii, cum anno Juliano compoſita, ſuum ſortitur exordium.

Julianus annus dicitur, quia à Julio Cæſare fuit præfixus anno 45. ante æram vulgarem. Hac ultima indictione utitur in datandis Bullis curia Romana. Jam ſatis pro ratione operis de numero aureo: ad Athenienſes ſermo revertitur.

Inter Athenienſem * & Spartanam
3573 nam Rempublicam renovantur diſſidia; Belli incomoda adauxit repetitus poſt ſeculum peſtilentialis morbus, univerſam penè Etiopiam, Egytum,

ptum, Perſiam, & Græciam ad nihilum redigens. Fuit hæc peſtis ab Hipocrate, tunc vivente, medicorum Principe prædicta. De præfato bello, Pelloponenſi, quo ſeſe invicem annorum alterante fortuna, vexarunt Lacedemoni, & Athenienſes ad annos 27 diſſerunt ferè omnia veterum Hiſtoricorum monumenta.

Vix inita pace *irrita facientes
ſancita pacta, ad arma iterum clamant Spartani, & Athenienſes; cum 3600
inter Romanos, Dictatorum regimen,
quo jam erant perteſi, diſſenſionibus
præbuit fomentum; quapropter gubernandæ reipublicæ *decem viri præ
ficiuntur; ſed poſt triennium etiam 3603
decem virorum abdicato regimine*
Conſules creantur, mox inſtituuntur 3611
*Cenſores. Inter has varias regiminis formas dum Roma agitatur,
diverſis etiam incomodis Græci commoti, nova ineunt * pacis fædera,
recuſata à Thebanis, quibus Lacedemoni 3622
tandem ſuccumbunt *duce
Epaminonda, magni nominis The- 3634
be Philoſopho, ſimul, & Belligero,
cui non impar Xenophons Athenienſis, ſcientia Philoſophica, hiſto-

rica notitia, & arte militari excellens. Victores itaque Thebani univerſam Græciam ſuæ dominationi devovere * contendunt, eodem anno,
3636 quo Romæ detecta eſt Servorum conjuratio, affectantium Dominium.

Spectabilis erat tunc temporis cunctis hominibus Græcia, quæ in omni artium, ſcrientiarum, juriſprudentiæ, & militaris virtutis genere excellens, penè orbi univerſo in omnibus facta erat Magiſtra, quapropter Romani, ut Græcorum gloriam emularentur, Leges à Græcia acceptas in duodecim tabulis deſcriptas proponunt; nec non à Græcia excellentes Artifices, qui ſuis operibus urbem nobilitarent, nullis parcentes expenſis Romam evocant: inter græcos artifices, magni nominis fuerunt Phidias, & Praxitelles, ſtatuis, ſive ex ere, ſive ex marmore, ſive ex ebure conficiendis celleberrimi, quos non hujus, ſed præteriti ſeculi initio vixiſſe tutior eſt ſenſus: Apellem autem circa hæc tempora natum & eo vivente in græcia colloſſum Rhodium orbis miraculum, artifice Charete erectum, non controvertitur.

Græ-

Græcorum diſſidia, ab Alexandro orbis dominatore hoc ſæculo * 3648
genito, componenda fortuna ſervabat. Dum Macedonia cum Philippo Alexandri Patre ſub Epaminonda ad virutes, & prælia edocto, de nato Rege, & Succeſſore lætantur. Arthemiſia inconſolabilis lacrymatur mortuum conſortem ſuum Mauſolum
* ejuſque cineres quaſi iterum vivificatura in poculo bibit, Mauſoleo, 3611
ad perennandam poſteris mariti memoriam, inenarrabilibus expenſis
conſtructo * quod in urbe Regia Ha- 3614
licarnaſſi, Regni Carienſis Metropoli, Herodoti aliorumque ſapientum virorum patria, inter regale palatium, & Veneris templum erigi Regina curavit, prius dolore conſumpta, quam videre potuerit opus conſummatum. Sed efficacius lacrymarum argumentum exhibent Siculis Dioniſius ſenior, & junior, ſub quorum tyrannide Sicilia mille gravatur ærumnis; horum tyrannidem effugientes Siracuſani, condiderunt Anconam: propè quæ tempora Plato, divinus antonomaſtice dictus, ſcientię prodigium, Patria Athenienſis,

So.

Socratis auditor, Accademicorum
3656 Coriphæus * communem omnibus
æquat ſortem, ætatis annorum 81.
quam Socrates Athenienſis imperterito animo, veneno conſumptus, jam exceperat, Olimpiade 95. omnium virtutum moralium cum ſe exhibuiſſet compendium.

Platonis Succeſſor in Cathedra deſignatur Ariſtoteles, cujus adhuc in præſens celebre admodum in ſcholis eſt nomen. Stagira oppidum in Macedonia tantum virum genuit, ex quo Stagiritia dictus, ſicut & Peripateticus, quia eorumdem Coriphæus. Creſcente ejus doctrinæ fama, ad Macedonem erudiendum accerſitur, & aſſumptam provinciam per annos octo adeo felici auditoris ſucceſſu abſoluit, ut Philippus, & Olimpia Alexandri Genitores Ariſtoteli in ſtagira ſimulacrum, erexerint. Ariſtoteles itaque liberalibus diſciplinis, Philippus Macedo rei militari Alexandrum ita compoſuerunt, ut vix 18. annos natus, triumphis
3666 maturus *de Athenienſibus triumpha-
3668 verit. Mox Perſarum Regem * victor
aggreditur, deinde univerſam Græ-

ciam

ciam ſubmittit, Thebe* Alexandro 3670
cedere reluctante ſolo æquata, quæ vetuſtate nobiliſſima, à Cadmo excitata, Baccum & Herculem ſuos gloriabatur Concives. Proſequens Alexander ſuos contra Darium Perſarum Regem triumphos, Judæam pervenit, Jeruſalem armis ſtipatus
profectus * obvium habuit Pontifi- 3672
cem Jaddum, Sacerdotalibus amictum indumentis, ad cujus gravem aſpectum interna veneratione concuſſus, templum ingreditur, & Deo Iſrael ſacrificia, & munera obtulit. Deinde Alexandriam totius Ægypti emporium revertitur, ubi Philoſophiam docebat tunc tempòris Epicurus, qui ſummum bonum non in voluptate, infami (ut aliqui perperam ſomniarunt) ſed in voluptate, quæ à virtute eſt inſeparabilis, conſtituebat.

Inſtructo ab Alexandro validiori exercitu, ſecundò Darium invadit, & iteratò triunphat. Mox Damaſco Syriæ Capitali potitur, inter omnes orientales urbes populi affluentià, & divitiis ſpectabili. Propè montem Libanum ab Aram Noemi Pronepote con-

conditum Damaſcum, tanquam Domus voluptatis ob aeris temperiem, & agri fertilitatem in Sacris Paginis cœllebratum; orbis etiam Paradiſi titulo à diverſis ſcriptoribus commendatur; adhuc in præſens Phœniciæ urbs eſt capitalis, ubi ſuos Darius theſauros condiderat, ut ab Alexandri triumphantis exercitu cuſtodiret, ſed in caſſum, ſiquidem Damaſci Alexander triumfans, etiam Darii Theſauros deprædatur; deinde Syriam, & Phœniciam ſubiicit, ſolis obſiſtentibus ad ſeptem menſes Tyriis, ſed tandem ad bellica jura, una cum Gazæ Civibus captivis reductis. Mox Ægyptum penetratus ubique victor
3673 Alexander, in Memphis *receptus, iterum contra Darium parat conflictum, quo cum univerſo Perſarum Exercitu profligato, Perſarum Imperium extinguitur, & Alexander to-
3674 tius Aſiæ regis * titulum aſſumit. Poſtmodum Babilone ovans, mox in Suſan, vix credibile, eſt quot ibi Theſauros invenerit. Hircania etiam ſubmiſſa, Schitas barbaros compeſcuit, & ad orientales Indos penetrans, Bracmanos ſibi fecit Tributarios,

rios, quibus cumulatus victoriis, Babilonem reverſus, deliciis intemperanter deditus infirmatur, & ætatis annorum 32. poſt tot partas victorias à morbo ingraveſcente devictus, qui divinitatis titulum tamquam Jovis filius affectaverat, cæteris par factus hominibus homo * moritur; ſuperſti- 3681
te adhuc per biennium Magiſtro. Alexandri vaſtum Imperium vix natum extinguitur, dum ad fęlicius, & ſolidius regimen reſtaurandum, poſt quinquennalem Anarchiam, iterum Romæ * Conſules præficiuntur, qui 3688
ut à divinis regimen fęlicius auſpicarentur, & divinitatum urbi conciliarent patrocinium, plura ſtatim templa erigunt, cum celeberrimum Æpheſi Dianæ Templum, orbis miraculum * irreparabili Æpheſinorum da- 3692
mno conflagrans demolitur.

Partito inter Regni proceres Alexandri Imperio, Ptolomęo Soteris filio in Ægypto, Seleucio in Syria, & Babylone regnantibus, Æleazaro in Judęa Pontifice * facta eſt græca ver- 3717
ſio ſeptuaginta duorum interpretum, quos Æleazarus ad Ptolomęum Ægypti Regem direxerat, verſionem pro-

procurante Demetrio Phalereo,omni-
gena ſcientia ſpectabili, qui Alexan-
drię * Bibliothecam ducentorum mil-
le voluminum copioſam aperuit:com-
3730 pletæ verſionis tempus ad annum *
circa reducitur. Non modo propter
verſionem præfatam, Chriſtianæ Rei-
publicæ adeo proficuam, memorabi-
lis fuit hæc ætas, ſed etiam propter
3735 inventam * apud Sinenſes Papirum,
quæ Reipublicæ Litterariæ, adeo pro-
fecit incremento. Ex quo autem de
Sinenſibus recurrit Sermo, non reti-
cendum circa hæc tempora ab Impe-
ratore Xi-Koanti ædificatum murum
penè molis, & longitudinis inauditæ,
ut Regnum à Tartarorum incurſioni-
bus cuſtodiret. Etiam Romæ hac æta-
te via Appia ſternitur. Anthiochia in
oriente ab Antigono Aſiæ Rege jam
dudum ædificata, pluribus nominibus,
tam ante, quam poſt Chriſti adven-
tum celebris, Syriæ urbs Capitalis,
magna antonomaſticè dicta, à Seleucio
Rege Syriæ perficitur. Communem
utique admirationem non modicum
excedit cęcus amor, quo Anthio-
cum filium Seleucius eſt proſecutus,
cum enim Anthiocus Strationicæ
Ma-

Materteræ amore captus infirmatus eſſet ad mortem, & comperiſſet Seleucius à Medico nullum infirmo ſupereſſe remedium, niſi Strationicam ſuam conſortem Anthioco in uxorem concederet, plus filii, quam filius Strationicæ obcæcatus amore, medici lubens acquievit conſilio.

CAPUT V.

ONiam in Pontificatu * ſequitur 3752
Simon Secundus, lacrymatus
Judæorum in Alexandria degentium
ſub Ptolomæo Philopatre calamitates, pluribus ſiquidem cruciatibus tentabantur Judæi, ad eoſdem ab obſervantia divinæ legis amovendos, dum Siculi ut gravium legum ſibi à Græcis impoſitarum jugum excuterent, primum bellum Punicum * in- 3780
tentant, ad quod promovendum Romanorum opem implorant, qui cum hactenus ſolummodo in terra apparuiſſent belligeri, occaſionem belli Punici nacti primam navalem copiam * inſtruunt, & fæliciter expe- 3794
diunt, vix peracto bello Samnitico, quod ad annos 71. nempe ab anno

3711.,

3711., uſque ad 3781. Romanorum virtutem exercuerat, ipſiſque 24. Triunphorum gloriam adauxerat (Samnitorum nomine veniunt, qui Beneventanum Ducatum, finitimaſque Provincias inhabitant) Romani itaque jam terra marique potentes, in diſſita regna ſuum cęperunt extendere imperium, cui poſt tertium bellum Punicum parère coacta fuit Sicilia uſque ad annum 430. ære vulgaris, cum primo à Gothis, mox à Vandalis, deinde à Saracinis fuit ſubacta, quorum poſtremi uſque ad annum 1070. ſuper Siculos exercuere dominationem, a ſupervenientibus Normannis ipſis ademptam. Tancredus, Siciliæ comitis titulo aſſumpto primus in Trinacria imperavit. Sed annò 1122. Rogerius Panormi conſecratur in Regem. Anno vero 1225. Carolus Angiovinus S. Ludovici Germanus, mortuo Manfredo Siciliæ Regno potitur. Manfredi filia, cui nomen Conſtantia, Petrum Aragoniæ Regem ſibi deſponſaverat; quapropter jus acquiſitum Supremæ dominationis in Sicilia Contendentibus contra Gallos Aragoniis, factæ ſunt Veſperæ Si-

Siculæ, trucidatis 8000. Gallis in die Solemni Paſchæ anno 1282, dum ad veſperas Solemnes pulſarent armonico ſonitu campanæ, factæ ſimul, & ſemel funeſtæ mactationis ſignaculum: ſed poſt ſeculum, ſcilicet anno 1387. iterum Siciliæ Regnum Angioinis ſubmittitur, Ludovico Angioino in utriuſque Calabriæ Regem Avenione à Clemente VII. coronato. Anno verò 1479. Ferdinandus dictus Catholicus, Caroli V. Pater, Hyſpaniæ Monarchiæ utramque Siciliam copulavit.

Trinacria omnium penè deſiderabilium frugum feraciſſima, necnon ad omnigenam ſcientiam aptiſſima producens ingenia, fęlicior inter omnia Europæ Regna floreret, ſi ſub iteratis regiminum mutationibus, tot bellorum incommodis non eſſet obnoxia, quæ in primo bello Punico, contra Carthagineuſes acto, eſt experta, bellorum detrimentis in ſecundo, & tertio bello punico ad exceſſum adauctis. Implorarunt Siculi in primo bello punico contra Carthaginenſes opem Romanorum, quorum martialis virtus, jam tunc ferè omnibus incutie-

bat

bat timorem. Sed Pęni ut Romanorum triunphis obſiſtant, quibus ſubdi
3805 timebant, grandi claſſe inſtructa * prope Drepanum Romanos profligant.

Romani non tam inter triumphos, quam inter adverſos conflictus audaciores facti, iterum bellum
3812 intentant, & ad Ægates * Carthaginenſes ſuperant. Magna Carthago inter totius Africæ urbes tenens primatum 137. annis Romam vetuſtate excedens, virtute militari cunctis formidabilis, plurium bellicorum inſtrumentorum inventrix, terra marique potens, in Libiâ, Sardinia, Sicilia, & Hiſpania triunphavit, repetito etiam contra Romanam Rempublicam prælio punico, tandem à Scipione Juniore anno 142. ante æram vulgarem capta, & everſa, ab Imperatore Auguſto iterum excitata, denuò à Genſerico Vuandalorum Rege anno 432. ſubverſa, à Duce Beliſario anno 523. Romanis ſubmiſſa, demum ab Arabis anno 685. omninò ad nihilum fuit redacta. Ejus magnitudinem, quæ 160. ſtadiorum habebat circuitum, ſatis ſuperque comprobat Tunetum Regni urbs Ca-

Capitalis ex Carthaginis ruinis excitatum.

Vix credibile eſt ſubacta Carthagine, quot poſt hac Romani bella quaſi ubique terrarum commiſerint, ubique victores, ubique glorioſi, ut meritò præſens ſeculum, triumphorum ſeculum potuerit à Romanis nuncupari. Secus res ſe habebant in Judęa, ubi Pſeudo Pontifices omnia ſubvertebant. Succeſſerat in Pontificatu Simoni Onias * vir juſtus, ab Antiocho illuſtris dicto, primo Sacerdotii anno amotus, impio Jaſone ſubſtituto, qui ſacram dignitatem venalem fecerat, oblata pro eadem obtinenda Antiocho pecunia, cujus ſacrilego exemplo inhærens Menelaus * abundantiori facta oblatione, Sacerdotio inveſtitur; Sed Deo Vindice ab Antiocho Æupator Illuſtris Antiochi filio, Syriam captivus ductus * morte damnatur. Ibique notandum pro clariori circa res Judaicas intelligentia, tredecim ſucceſſivè nomine Antiochos fuiſſe Syriæ Reges, ex quo mortuo Alexandro, Seleucus Nicanor unus ex Alexandri Ducibus eſt Syriæ Regno potitus, uſque ad Pom-

3829 3830 3842

Pompæi Tempora. Hinc factum eſt ut per nominis conſonantiam, quæ ſub uno contigere Antiocho, ſub alterius regno ſæpe ab aliquibus hiſtoricis contigiſſe referantur. Sub Seleucio quarto Antiochi Filio contigit Heliodòrum, Jeroſolymitanum templum, Siriæ Regis juſſu expillaturum adventantem, ab inviſibili manu fuſtibus cæſum, emendatum ad propria ſine ſpoliis revertere fuiſſe coactum.

Antiocho Illuſtri regnante, gerebat fortiter prælium pro defenſione legis judaicæ Judas Machabæus, cum quo pacem poſtmodum inierat Eupator, ſed à ſancito federe ſtatim receſſit; iterumque capta Jeruſalem muros evertit, & novæ ſervitutis jugo Judæos cogit ſuccumbere. Dum Athenienſes Legatos ſuos dirigunt ad Rŏmanum Senatum, ut eos ab impoſito jugo ſolutionis 500. talentorum abſolueret. Legatorum nomina Carneades Accademicus, Diogenes Stoicus, Critolaus peripateticus doctrina inſignes, quibus fuit coævus Polibius Arcadus ſcriptor hiſtoricus celeberrimus. Legatorum Athenien-

nienſium doctrinam admirantes Romani * cæperunt Philoſophię ſtudio ſe 3849
devovere, ſed à literarum cultura Catonis conſilio fuerunt prohibiti. Cato hic eſt Cenſor, alius à Catone Prætore, cenſoris nepote, quamvis ambo fuerint Romanæ Reipublicæ gloria, decus, & ornamentum. Cato Cenſor pluribus etiam acquiſitis Romæ Provinciis, in rebus Reipublicæ agendis adeo fuit juſtitiæ amantiſſimus, ut quater centies ab Invidis, & Calumniatoribus ad Senatum accuſatus, nunquam vel leviter noxius probari potuerit. Catonis itaque Cenſoris conſilio prohibetur à ſtudio Romana juventus, timente Senatu, ne inter literarum ſtudia emoliretur, quæ ad arma compoſita, ſub Romanis Ducibus militans, glorioſos ubique reportabat triumphos, & hactenus ſubdi neſcios Populos Romano ſubigebat Imperio, cui cedere coacta fuit Affrica, Annibale à Scipione Affricano devicto.

Annibal Dux Carthaginenſium belligeri Amilcaris Filius, ad Patris inſtantiam juramento adſtrictus nunquam cum Romana Republica pa-

cis fęderá ineundi, diù fuit Romanorum terror. Per inacceſſibiles montes aceto, & ſcalpello ſuperatos, ad Italiam copioſo exercitu via ſibi ſtrata prope Taurinum, æterno poſteritatis ſtupore Italiam ingreſſus, ſtatim Taurinorum Auguſtam, poſt anguſtam triduanam obſidionem occupat, Mediolanum ingreſſus, propè Ticinum Scipionem Romani exercitus Ducem profligat, Mox Paulum Æmilium magni nominis Ducem una cum 40000. bellatoribus, quos nobilior Romana juventus componebat aperto marte ſuperat, quà partà victorià Romam obſidet, ſed ingruentes pluviæ obſidionem diſſolvunt. Sexdecim annis, quibus Annibal milite Carthaginenſi ſtipatus in Italià ſeſſionem fecit quaſi, ſemper triumphator, magis conſpicuos Romanorum Duces umiliavit. Sed Africam revertere coactus, jam alternante fortuna, à Scipione prioris Filio victus, timens ne Romam duceretur captivus, ſibi propinato veneno, prævenit periculum. Ob relatas in Affrica victorias Scipio Junior dictus eſt Affricanus: ætatis annorum 18. patrem in Præ-

Prælio contra Annibalem prope Ticinum vita periclitantem ab imminenti morte redemit; mirabiles in acie fecit profectus; Sed dulci Indole, & continentia pluſquam virtute militari mundo ſe fecit ſpectabilem, cum enim novà Carthagine ſuperata, ſpecioſiſſimam virginem ante Scipionis conſpectum captivam ſiſterent Romani, ipſe ne oculos quidem attolere voluit, ut eam conſpiceret, ſed argenti copià, ut nobiliter poſſet in matrimonium locari donatam, liberam ad ſuos Genitores remiſit. Quo mirabili facto ipſorum etiam inimicorum ſibi conciliato amore, facilem ad ulteriores triunphos aditum reſeravit. Nihil eſt quod in bellis populorum animos magis demulceat, quàm ſupervenientium inimicorum continentia; ubi hæc effulgeat in exercitu, ejus obedientiæ populi penè ſine obice ultrò ſe ſubdunt, & facile acquieſcunt; e converſo militum incontinentiam pluſquam rapinam, & incendia rebelionibus miniſtraſſe fomentum, ſæpe infauſti comprobarunt eventus.

Victis à Scipione Africano Car-

thaginenſibus, ad digniores palmas ſibi viam aperuerunt Romani, Sicilia enim, Sardinia, & Hiſpania in Provincias redactis, etiam Romæ coacta fuit ſe ſubdere Corinthus, quæ Lucii Mummii Romanorum Ducis viribus ſe opponens, ferro, & igne fuit conſumpta, quo in incendio aureę, argenteæ, æreęque ſtatuæ, quibus affluebat Civitas, liquefactæ coaleſcentes in unum,ęs vulgo Corinthium dictum, furore bellico Artifice confecerunt.

Corinthus in Pictura, Sculptura, & Architectura excellens, Diogenis Cynici patria, vetuſtate fuit memorabilior, quippe quæ ab anno 2599. à Syſiphe ſuam agnoſcebat originem. Corinthii intellectus perſpicacitate vivaces, multarum inventione rerum, ſive ad commodum, ſive ad oblectamentum commendantur. Hujus opulentiſſimæ urbis, prætioſiſſimæ Spoliæ Romam deportatæ, non modicum Urbem ditarunt. Nobilitabant etiam tunc temporis Romam fęliciſſima ingenia, inter quæ celebris fuit Terentius Carthaginenſis, qui plaudente tota Republica literaria, Ro-

mæ

mæ publici Juris fecerat ſuas Comædias, dum Quintius Romanus jus dicebat in Grçcia, quæ Romanorum armis, & legibus invita parebat, cum lubentes aliæ Provinciæ Romanorum dominio ſeſe ultro offerrent, inter quas Judæa, agente Juda Machabæo, quærebat cum Romanis fædus inire.

Judas fortiter pro patriis legibus dimicans contra Bachidem * glorioſè occubit, ſuceſſore Jonatha; primo 3851
ex Machabçorum ſtirpe * ad Pontificatum aſſumpto, cum ſæpe Jona- 3852
thas contra Demetrium una cum Simone glorioſè pugnaſſet, tandem a Triphone * proditoriè interemitur, 3861
Simon Ducis exercitus, & Pontificis munera implens ſufficitur Jonathæ, & cum ſeptem annis præfuiſſet, etiam proditoria morte * occubuit. 3869

Poſt has Lacrymabiles vices, Lyſimachus in Judæa çthnicos ritus * 3885
inducit, Antiochus templum prophanat, & Jovi in monte Garizim ſimulacrum erigit. Æleazarus Senex nonagenarius, ſeptem Filii Machabæi, & Salomona Mater ſub Antiocho Rege Syriæ, pro Religione, & Patriis

3886 Legibus * fortiter obeunt. Machabæorum nomine condecorati fuerunt Aſmonęorum Principes, ex Aaron ſtirpe deſcendentes, qui annis 130. populo pręfuerunt Judaico,& modica militum copia potentiſſimis ſeſe oppoſuerunt Regibus, divinæ legis zelati decorem, & obſervantiam, quorum piiſſimis ſenſibus oppoſitum ſe probavit Hircanus, qui auro, inhians
3897 aperto David ſepulcro * tria mille talenta eripuit.

Has inter Júdæorum calamitates ſemper propitiam ſe exhibebat fortuna Romanis, per ipſos enim everſa Garthagine, victis Athenien-
3907 ſibus * Græcia in Provinciam redigitur. Sed Romanorum Imperio ne ſuccumberent Athenienſes, Mitridatis Ponti Regis, ubique tunc triumphantis, opem implorant. Regnavit Mitridates annis 57. militari gloria futurus Alexandro non impar, niſi adverſam nactus fuiſſet fortunam. Romanorum inimiciſſimus, in triplici Bello niſus eſt Romanam extenuare potentiam. Excellenti dotatus ingenio in diverſarum linguarum peritia ſupra omnes excelluit, quandoquidem

dem 22 diverſis linguis, ſine interprete, undequaque ad ſe adventantes oratores excipiebat. Dictus eſt Romanorum flagellum, licet adverſante fortuna iteratò ſuccumbere fuerit coactus, primò ſub Sillà, ſecundò ſub Murena, tertiò ſub Lucullo Romani exercitus ducibus. Nihilominus reſtauratà acie, invictus animo Mitridates, iterum contra Romanos bellum intentat, & Fabium debellat. Sed in Fabii auxilium ſuperveniente Pompæo, Mitridates una cum uxore Hipſicrate fugam arripere cogitur. Hipſicrates in habitu virili, virilem induens animum, ſemper in præliis cum Mitridate dimicans, eum quocumque iret ſecuta eſt, qui tandem nimium adverſantis fortunæ tædio victus, proprio ſeipſum gladio interemit, anno 50. ante æram vulgarem; cum nihil obeſſe potuiſſet propinatum venenum, à quo ob aſſiduum cujuſdam herbæ vulnerariæ æſum offendi non valuit.

Ad Mitridatem itaque primis regni ſui annis ubique triumphantem, utpotè Romanorum inimiciſſimum, Legatum direxerunt * Athenienſes 3916

Philoſophum quemdam peripateticum, ſed Mitridates Imperii dilatandi avidiſſimus 120. mille hominibus ſtipatus Achajam percurrens, cum illis fædus non iniit, ſed tanquam hoſtis perveniens Athenas, urbem
3917 ſubmittit, quem anno * ſequenti Sillas profligavit. A' Sillæ militibus, cum Athene Romam victor reverteretur
3918 fundatam Florentiam * ſunt qui autumant, quæ in floridiſſimam crevit Rempublicam, cui non impar Genua, aliquibus luſtris Florentiâ fundatione vetuſtior. Hetruria Medicęis à Carolo V. in Ducatum conceſſâ, nobilibus floret familiis; nobilioribus vero fæcunda ingeniis, plures Præſules ex ſua natione primarias implere in Eccleſiaſticâ hierarchiâ dignitates jurè gloriatur. Dum hæc ſcribimus pontificio veneratur in Solio Clementem XII. Corſinum, cum nobilitate ſanguinis nobilitatem ſenſum ad Urbis decorem, & Religionis gloriam indiſſolubiliter connectentem; omnibus etiam veri Antiſtitis abſolutum numeris, ſuum exhibet Florentia Patritium Urbis Vicarium Cardinalem Guadagni, regnantis Pontificis dignum

gnum nepotem, ex inclito Carmelitarum Ordine ad Purpuram aſſumptum. Fulgent & alii Cardinales atque Prȩlati, ex Hetruriȧ oriundi, qui dum pro Eccleſia defatigantes ſua laudabiliter munera abſolvunt Hetruriæ illuſtrant ditionem, jȧm pridem in Floridiſſimam Rempublicā compoſitam, quæ ſua novit, ſtatimque nobilitavit primordia, cum Athenienſis reſpublica, Silla & Mitridate præliantibus ſuum ingemuit exitium.

Poſthac Athenienſes Pompæo adhærendi conſilium capiunt, ȧ quo non paulò poſt recedunt, ut Antonio confæderentur, quos tandem Auguſtus omnino ſubmiſit, & Romæ parère licet invitos coegit, quæ orbis emporium facta, heroum Parens, bonarum artium magiſtra, ſcientiarum licæus, omni eruditionum genere inſignes viros ſuo alit in gremio. Inter quos floruere hoc ſæculo Lucretius Poeta, ſex librorum de natura rerum ſcriptor. Catullus Veronenſis ob ſuam eruditionem Ciceroni acceptiſſimus. Titius Quinctius Poeta Togatorum nuncupatus. Virgilius Marro Mantuanus Poeta heroicus, ab Au-

guſto, & Mæcenate multis cumulatus favoribus, Latinorum Poetarum Princeps; Cornelius Silla, inter Poetas comicos celebris, inter Romanos Duces celeberrimus. Tarentius Varro, nemini ſui ævi eruditionis gratia ſive Græco, ſive Latino ſecundus. Ovidius Sulmonenſis in aula Auguſti ob eruditionem poeticam familiaris, quamvis ob librum de arte amoris compoſitum, poſtmodum ab Auguſto Roma fuerit proſcriptus. Mæcenas ex ordine equeſtri, eruditorum protector, undè Mæcenates poſtmodum appellare quotquot ſtudioſis ellucubrationibus protectores præficiuntur uſus invaluit. Horatius à Mæcenate divitiis auctus, ſub hujus ſæculi clauſulà è vivis ereptus.

Eruditionis laude ubique Terrarum conſpicui, armorum glorià ubique formidabiles, dum novis augent Romani Imperium ditionibus. In Judęà Succeſſores Hircani cum Supremo Pontificatu Regiam conjungere dignitatem, moliuntur. Res cum fœlici ſucceſſu primò attentatur ab Ariſtobolo Hircani Filio, cujus ſucceſſor
3926 Alexander viſus eſt * Phariſæis propen-

penſus. Alexandro ſubrogatur Hircanus II. hic ſæpe à dignitate depoſitus, iteratò * eamdem reaſſumpſit, 3935
donec fautore Antipatro Herodis patre pacificè aliquandiù ſedit, ob varias fortunæ vices, dictus fortunę pila.

Propè hæc tempora Ægyptii, Regiminis Ptolomæi Regis perteſi, eo quod Catoni adheſiſſet, eumdem Alexandrià expellunt; quapropter Romam ſub Senatus protectione ſe conferens, ibidem valido exercitu, duce Gabinio, promotore Pompęo, munitus, iterum Alexandriam, & Regnum, invitis licet Ægyptiis repetiit. Diſſenſiones interim excitantur inter Cæſarem, & Pompęum *, quas ut 3955
ſedaret multum, ſed inutiliter defatigavit Cato Prætor, Senioris Catonis nepos, totus Reipublicæ bono addictus, contra Catilinæ conjurationem, una cum Cicerone confæderatus. Cum vero Cæſarem, & Pompęum diffidentes non valuiſſet componere, Pompeo potius, quam Cæſari adheſit. Pompęus Cæſaris gener, ob Juliam Cæſaris Filiam in uxorem ductam, tot enituit cumulatus triumphis, ut meritò magnus fuerit dictus.

Nihilominus Cæſaris triumphi Pompei gloriam quodammodo obnubilare videbantur. Pompeus enim ſuperiorem ægrè ferebat, Cæſar parem in gloria non patiebatur. Creſcentibus itaque inter Cæſarem, & Pompeum inſidiis, invicem aperto marte pugnarunt. Sed Pompeus poſt tot triumphos adverſam expertus fortunam, cogitur apud Juniorem Ægypti Regem, Cleopatræ fratrem, &
3956 Sponſum * refugium quærere, ubi proditoriè è vivis eripitur: infauſti deceſſus Cato certior factus, cum prius librum de immortalitate animæ à Platone conſcriptum attentè perlegiſ-
3958 ſet * pugione ſeſe confodit. Cæſare verò ſuas victorias proſequente, eidem univerſa Ægyptus ſubmittitur, & Ægypti Reginam proclamat Cleopatram, cujus uerat amore captus; omnibuſque Pompeo adhærentibus profligatis, Romam cumulatus triumphis revertitur, ubi perpetuus Dictator inauguratus, ad decennium Conſul electus, publico bono promovendo intentus, Kalendarium Romanum corrigit, adſcitis ad opus peritioribus Aſtronomis: plura alia

ad

ad Reipublicę bonum, Urbis ornatum dum meditatur, in ſenatu * à factio- 3959
ſis pugione confoditur, prævalente Marco Antonio, qui in bello contra Parthas occupatus, Tharſis obviam habuit Cleopatram, quam in uxorem ductam adeo habuit in deliciis, ut non niſi ab ejus nutu penderet; tantumque in ſenſus illecebris emolitus vixit, ut Romanorum contra ſe odium concitaverit.

Supremam dignitatem in Senatu, cum Antonius affectaret, fortiter Cicerone opugnante; ſupremoque dominio etiam inhiarent Lepidus, & Cæſar Auguſtus: à Julio Cæſare in heredem adoptatus; ad contentiones dirimendas Triunviratus proponitur, à Cęſare, Lepido, & Antonio componendus. Novi regiminis auctoritate fretus Antonius, Ciceroni factus infenſus, ex quo ſupremum dominium Antonio oppugnaverat, & contra ipſum orationes Philippicas dixerat, Ciceronem Romanæ eloquentiæ Principem voluit proſcriptum, & à Pompilio centurione * necatum. 3961

Imperantibus Triumviris Pachorus Parthorum Rex Judęam apulit * 3963
ubi

ubi Hircano à Pontificatu depoſito; Antigonus Ariſtoboli Filius obtinet Pontificatus inſignia, ſed inſtigante Herode, regnandi cupidine faſcinato, Antigonus tamquam Romanæ Reipublicæ inimicus rejicitur, & Herodes regiam in Judęà, favente Cæſare, obtinet poteſtatem. Cum verò dominationis cupiditas nullum admittat conſortium, oritur in Triumviratu diſcrepantia; ęgrè jam ferebant Romani in Triumvirorum regimine conſortem Antonium, ob amores cum Cleopatra, factum Patrię proditorem, quare Senatus Cæſari mandat, ut Antonium oppugnet. Statim Cæſar Antonium proſequitur, qui in deſperationem actus, eo quod Cleopatram jam crederet è vivis ere-
3972 ptam, ſeipſum * interimit. Prævalente Cæſaris exercitu, Lepido, & Antonio ſuperatis, ſolus Cæſar Romam, ſicut jamdiù optaverat, victor ingreditur, & Auguſti nomine aſſumpto, primus Imperator ſalutatur.

Imperii Romani Cæſar Auguſtus
3973 * ſupremo potitus dominio, pluribus bellis, quibus tunc agitabatur cum exteris nationibus Romana Reſpublica

blica glorioſum finem impoſuit, ex quo toto orbe jam in pace compoſito. Templi Jani portas, quæ bis ſolum à ſui fundatione Roma clauſas conſpexerat tertiò fœliciter clauſit. Cum verò Romam Cæſar victor reverteretur Rodium perveniens * ibi obviam 3976
Herodem habuit, illuc properantem ut imperiali decreto confirmaretur in Regno Judeæ, quod Cæſare ipſo opitulante jam aſſumpſerat, Antigono è vivis erepto. Herodes Rex confirmatus, non Regem ſed crudelitatis monſtrum ſe exhibuit, ſua enim Uxore Marianna interempta, etiam contra Filios * mortem intentat, ſuiſ- 3993
que ſubditis, imo & apud exteros abominabilis factus, in domo Herodis melius porcum eſſe quam Filium, locum dedit adagio; cum Cæſar nihil intentatum relinqueret, ut non modo Imperatorem, ſed verum Patriæ Patrem ſe exhiberet. Quod ut fælicius conſequeretur Marci Agrippæ, & Mæcenatis prudentibus lubens acquievit conſiliis. Agrippa Marcus Veſpaſianus liberalitate, magnificentia in rebus gerendis, prudentia, & conſilio inter Romanos com-

comendatiſſimus, tertio conſulatum promeruit: virtute etiam militari factus ſpectabilis, cui Auguſtus debuit Imperium: ob relatas contra Pompeum, & Antonium victorias, Aſiæ regimine condecoratus, Cæſaris filia in uxorem ducta, Romam reverſus Pantheon ædificavit. Cellebre adhuc nunc temporis Romanæ magnificentiæ monumentum.

Mæcenas alter Cæſaris conſiliarius, ex Hetruriæ Regibus progenitus, dicendi gratia excellens, Marco Agrippa fortior fuit ad perſuadendum, cum enim de reſtituenda Romana Republica, & Senatus ſuprema auctoritate innovanda ageretur, & in hanc partem Agrippa propenderet, Mæcenas verò Monarchicum regimem commendaret, Auguſtus Mæcenatis acquievit conſilio, qui inſtituto ipſo Cæſare hærede, octo annis ante æram vulgarem, ſummo eruditorum & Imperatoris dolore, mortem oppetiit. Floruerunt Mæcenate vivente, præter jam ſupra recenſitos literarios, Diodorus Siculus hiſtoricus, ab Euſebio Cæſarienſi comendatus. Dioniſius Halicarnaſſæus Diodoro

doro non impar, & Sibilla Tiburtina, quæ Catholicæ Religionis ſummam ſuis in oraculis perſtrinxit.

CAPUT VI.

IMperante Cæſare Auguſto, Regnante in Judea Herode crudelitatis monſtro, JESUS Verbum Patris æternum tamquam Agnus manſuetus ducendus ad victimam *naſcitur 1
de Maria Virgine, Joſeph viro juſto deſponſata, factus Homo. JESU Chriſti vitam cuicumque Catholico, redemptionis myſteria ut par eſt recolenti perſpectam, Divino dictante Spiritu, ſcripſerunt quatuor Evangeliſtæ, mirabilia quæ Deus operatus eſt in nativitate Chriſti, una cum Bethlemica ſtrage *Herode Car- 2
nifice, perſtringentes.

Decimum quartum Chriſtus agebat annum, cum Auguſto defuncto Tiberius *ęquè voluptuoſus, ac vio- 14
lentus capeſſit Imperium, cujus crudeli ſententia Agrippina Auguſta, Filiique Druſus & Nero, pluresque ex ordine Senatorio probitate conſpicuvi morte damnantur. Sub Tiberio Seianus jam intimus Tiberii ami-

amicus, omnibus à Principe cumulatus favoribus, in aula ad totius fortunæ apicem evectus, proceſſu inſtituto de proditione convictus, unco in Tiberim trahitur, adeo verum eſt, quod nimia in aulis fortuna, ſi non ſit cum moderatione retenta, ultimum Aulicis parat exitium.

28 Vigeſimum octavum *Chriſto currente annum communis eſt ſenſus S. Joſephum inter Mariæ V. ſuæ caſtiſſimæ ſponſæ, & Jeſu Chriſti Mariæ Filii ſacros amplexus, tranſiſſe ad Patres, cum quibus non paulò poſt, reſerato per Chriſti mortem cælo, æterna triumphaturus erat in gloria, primus inter homines, ut piè credere par eſt adſcriptus in libro vitæ, qui ſolus inter homines vitæ ipſius meruit electus eſſe Nutritius.

Per Tiberium proſcriptis ab urbe Aſtrologiæ damnatæ profeſſoribus, etiam vitriariæ artis inventores *ex-
29 pelluntur, ne vitri uſu nobiliſſimo introducto aurum vileſceret, vel argentum, cui nimis inhians Judas, ex Apoſtolo proditor, triginta Argenteorum prætio Chriſtum judæis tradidit, regnante in Judæa pro Impio

pio Herode, è vivis ſublato, Archelao etiam extincto, Herode Agrippa Herodis Aſcalonitæ filio, ſub quo, & Chaipha Pontifice, Pilato Judice, Chriſtus * omnium vita, proh dolor! morte damnatur ad crucifigendum. Mortis adeo injuſtæ ne Sol teſtis exiſteret Ecclipſim patitur, & terra quaſi horreret ad funeſtum Crucifixionis ſpectaculum terræmotu concutitur, ſæpè eodem anno renovato, undè Sardis, & Ephesus una cum duodecim Aſiæ urbibus in maceriem fuere redactæ. Ephesus urbs propè mare Ægeum in Aſia condita, ob templum Dianæ adeò in urbe univerſo celebre, ſatis eſt cognita. Dianæ templum Amazones excitaverant Chteſifonte Architecto, eadem nocte qua Alexander natus eſt, igne conſumptum ab Eroſtrate, iterumque ab Epheſinis ræedificatum, in cujus prima extructione tota Aſia annis 200. tributum, & opes impenderat, 425. palliiis in longitudine 220. in largitudine protrahebatur. Columnæ 127. totidem Regum expenſis elaboratæ templum ornabant. Hic primum Architectura co-

columnas ſuper baſes, capitellis ornatas erexit. Conſpicuorum ingeniorum induſtria picturis, & ſtatuis templum ornaverat, penè immenſis undequaque congeſtis divitiis, quas Neronis avaritia depopulavit; ſub Galieni imperio à Schitis, & Gothis templi moles omnino fuit ſubverſa, cujus potior pars una cum urbe anno Crucifixionis Chriſti ab iterato terræmotu concuſſa, non paucos cives ſub macerie vivos ſepelierat, Chriſto à mortuis reſurgente, qui vivorum caput, morte devicta aſcendit triumphans in cælum, prius ſubſtituto in terris ſibi Vicario D. Petro Apoſtolorum Principe, in quo & Succeſſoribus tranſlatum eſt ſummum Sacerdotium; quamvis enim Judæi uſque ad annum 70. cùm à Veſpaſiano ſubverſa eſt Jeruſalem alios elegerint Pontifices, quorum ſeriem concludit Phanaſes, nihilominus jam à Chriſto fuerat verum, & ſummum ſacerdotium in ſuo Vicario tranſlatum, uſque ad conſummationem ſæculi permanſurum, quà de re plura vaticinatæ erant Sibillæ, prædixerant Prophetæ, nec pauca prophe-

phetaverat prædicans in deſerto Ba-
ptiſmum pænitentiæ Chriſti præco
Joannes Bap: ab Herode biennio an-
te Chriſti mortem, ut Saltatricis pe-
titioni adhæreret, capite mutilatur.

Chriſto poſt aſcenſionem ad de-
xteram Dei ſedente, imperterriti con- 35
gregantur * Apoſtoli, Judæis jam in
puſillum gregem infenſis, pro alio
Apoſtolo ſufficiendo loco Judæ præ-
varicatoris, & pro ſeptem eligendis
Diaconis, ex quibus lapidatus eſt 36
* Stephanus Protomartyr, neci con-
ſentiente Saulo; cum facta ſuper eum
manu Domini propè Damaſcum,
ſtatim ex perſecutore factus eſt annun-
ciator gloriæ Chriſti, iniqua Pilati
ſententia, crucis opprobrio adjudi-
cati. Sed accuſatus à Samaritis Pi-
latus tanquam judex crudelis, Ro-
mam à Tiberio accerſitur, quò cum 37
perveniſſet * imperium ineunte Ca-
ligula, exilio Viennæ in Galliis mul-
ctatur, ubi poſt biennium in deſpe-
rationem actus, ſibi factus eſt carnifex.

Iterum conveniunt * Apoſtoli Je- 37
roſolymis ut ſymbolum ederent,
priuſquam dividerentur Evangeliza-
turi per orbem, quo agnito D. Pau-

lus Jeroſolymam appulit, ibique ab Apoſtolis in conſortium puſilli gregis admiſſus, hinc Tarſum pro dilatando Evangelio tranſmigrat. Interim D. Petrus Antiochiam proficiſcitur
38 cifcitur * ſecundo Imperii Caligulæ, Tiberii nepotis anno. Caligula à Tiberio adoptatus, imperii impatiens, propriis manibus ſuffocato adoptante, non minus crudele, quam infame, ob inceſtum cum Sorore perpetratum, regno ſuo reſeravit exordium. Milliones aureos 62. pluribus annis à Tiberio in errario congeſtos, paucis menſibus diſperſit, & divinitatem affectans, inter Deorum delubra ſuum collocari ſimulacrum mandavit, quod & ſub Jovis forma in ſanctuario templi Jeruſalem exequi præceperat. Sed mors à Caſſio Calligulæ illata, ſacrilegam executionem prævenit. Sub Calligula
40 Colonia Agrippina * excitatur, cui fuit coæva Ratisbona olim Imbripolis dicta. Judææ urbes etiam Herodes variis auget ædificiis, qui à motâ in Apoſtolos perſecutione non
44 deſiſtens, D. Jacobum * interfici præcipit, jam Claudio per triennium Impe-

Imperium gerente. Sub quo ſex incolarum milliones Romæ fuerunt cenſiti.

Claudius Tiberii Nepos à juventute non niſi ſtupiditatem obſignans, Imperator ſalutatus primis Imperii annis viſus eſt excuſſiſſe torporem; aquas à ſuo nomine Claudias urbi perennavit, rebelles Britannos compreſſit. Sed non paulò poſt in priſtinam ſtupiditatem iterum lapſus, non niſi oblectamentis addictus, in regimine imperii factus eſt deſſidioſius, cum Petrus pro dilatandis Catholicæ Reipublicæ nuper naſcentis confiniis, labori indefeſſus, jam tertio Apoſtolos Jeroſolymis * convocat ad definiendam quæſtionem de 51
circumciſione aliiſque legalibus obſervantiis. Quibus compoſitis Paulo in Areopago * ignotum Deum revelante, Dioniſius & Damaris nobilis matrona Athenienſis nobiles fuerunt Apoſtolicæ prædicationis fructus. Sed ægrè ferentes Judæi Paulum, Athene Cotinthum reverſum, eidem obtrectant, multaſque contumelias longo ſe aptans martirio patitur pro Chriſti gloria, in qua

ut

55 ut communis eſt ſenſus hoc anno * exultat omnium Regina martyrum Virgo Dei parens, quæ jam Seniò confecta, plus amore, quam morbo conſumpta * lætabundis angelis, corpore, & anima in cælis glorioſa triumphat.

61 Noviſſimè Apoſtoli * in unum cohærent pro tollenda Gentiliſmi ſuſpicione de Paulo à Judæis concepta; Paulus Macedoniæ prædicans, mortuum ad vitam revocat; ſed ubique in Judæa vexatus, appellat ad Cæſarem,& Romam à Feſto Procon-
62 ſule * amandatur, ubi Nero Agrippinæ filius, jam ſextum Imperii annum agebat. Ibi biennio commoratus, iterum peregrinationes allù-
64 mit * per orbem terrarum ad Dei verbum propagandum, ſicut fælici ſucceſſu jam Romæ evangelizaverat, multis in Urbe ad Chriſti fidem converſis; inter quos an recenſendus Annæus Seneca Neronis Præceptor,
65 à diſcipulo morte damnatns * revocatur in dubium. Certum eſt inter Senecam, & Paulum fuiſſe Epiſtolarum commercium.

Revertitur poſt biennium Romam,

mam Paulus, & Petro qui ſuam ibi cathedram erexerat aſſociatur, imperante Nerone, primo inter Romanos Imperatores Chriſtianorum perſecutore, qui perperam de incendio cauſantur ab ipſo Nerone excitato, ut ardentis Troiæ imaginem Roma exhiberet. Jam tunc temporis Eccleſia Romana opibus, quas noviter converſi in Chriſtianorum ſubſidium offerebant ita abundabat, ut etiam exterorum egeſtati ſublevandæ ſufficerent; quapropter à ſuis primordiis poſſediſſe ampliſſima prædia, ſcilicet paulò poſt medium primi ſæculi ſacri probant hiſtorici.

Apoſtolorum ope plures etiam ex dignitate Senatoria in Chriſtum crediderant, tunc maximè cum Simonem magum hæreticorum ſigniferum, quem Roma veluti Numen adorabat, dæmoniacis artibus volantem * præcibus D. Petri præcipi- 66
tem actum conſpexerant. Quo non obſtante Prodigio, Nero contra Catholicos tyrannicum exercuit principatum, ipſis Apoſtolorum Principibus * morte damnatis, quorum 67
alter crucifixus, alter gladio obtrun-

catus, ambo glorioſam Martyrii palmam reportarunt, ſuccedente eadem die in Pontificatu Lino Tuſco;
68 ſequentique anno * Nero è virus eripitur. Quàm pium primo Imperii quinquennio ſe Nero exhibuit, tam impium reliquis annis ſeſe probavit. Non niſi ad Imperii deſolationem natum hoc crudelitatis monſtrum communis erat omnium ſenſus, factuſque cunctis abominabilis, in deſperationem actus, ætatis annorum 32. ſibi intulit mortem; nec magis Infamem ſe ipſo ſortiri poterat carnificem. Galba Dux exercitus primus fuit, quem militum vota, Nerone poſt 13. Imperii annum extincto, in Cæſarem proclamarunt, ſed òb avaritiam, quæ ſola inter vitia ſolet in ſenectute vireſcere, militibus factus exoſus, unà cum Piſone in Filium & Cæſarem adoptato, ab
69 exercitu * crudeli nece deletur.

Romani exercitus in Judæa ductor ſupremus erat tunc temporis Veſpaſianus, & Imperio inhians Romam reverſurus, filium ſuum Titum
70 exercitui præfecerat. A quo * Jeruſalem expugnata, & ſubverſa, undecies

decies centena Judæorum millia fame, aut gladio perire, centum millia publicè vendita. In hac dura obſidione ob ciborum inopiam, mulier Filio ſuo lactente interempto, famem proprii filii carnibus ſaturare non horruit; quod horrendum facinus excipiens Titus, adeo inhumanum genus omnino extinguendum cenſuit; quapropter Civium affluentiâ, & divitiis nobiliorem tunc temporis Orientis Urbem ſubvertendam pènitus judicavit, cum in occidente Populi multitudine inter omnes Urbes primatum Roma teneret.

Urbis Principatum aſſumpſerat *Veſpaſianus cum Ottho poſt Gal- 71
bam per tres menſes, Vittelius poſt Otthonem per octo principaſſent. Ottho ob conſono cum Nerone mores Imperatori acceptus, ab eodem Luſitaniæ Præfectus fuerat conſtitutus, quo in munere quantum olim licentiis deditus, tantum factus eſt moderationis amator. Galba è vivis ſublato, ab exercitu Imperio gerendo præficitur, eo quod in Luſitaniæ Regni regimine commendatiſſimam

ab omnibus moderationem exercuiſſet. Nihilominus cum exercitus in Germania degens Vittellium ſalutaſſet Imperatorem, hac de re nimio mærore confectus, gladio ſeſe confodit, cum annum 38. vix expleviſſet. Vittellius ſub Caligula, Claudio, & Nerone aulicos omnes adulatione excedens, hàc ſibi aditum ad primarias Imperii dignitates reſeravit, ſupremam tandem aſſecutus, Imperii Divitias ad ſuarum paſſionum, gulæ præcipuè immoderantiam explendam profudit, 25. mille ſcutis una in refectione conſumptis. Sed non minus ingluvie, quam crudelitate abominabilis, contra Famulos, amicos, & matrem ipſam feralem ſævitiem exercuit, quapropter concitatis in tam exoſam beluam, plus quam virum militibus, ab iiſdem in Tiberim quaſi fera projicitur. Ex quo videas unius biennii ſpatio quatuor periiſſe Imperatores, poſt quorum deceſſum ignis è Veſuvio co-
75 pioſus erumpens * plura Hominum
millia abſumpſit, inter quos Plinius
Veronenſis hiſtoricus flammis con-
76 ſumitur * quo in Incendio duæ Ur-

bes

bes Herculanum, & Pompæium ſuis
in ruinis ſepeliuntur, cum Amphi-
theatrum vulgò Coloſſçum Romæ,
& Templum pacis à Veſpaſiano ex-
citantur.

Sub Veſpaſiano, Lino Pontifice* 78
martyrio coronato, Cletus R. inau-
guratur magnus Sacerdos, & Titus
Veſpaſiani Filius Imperium *conſe- 79
quitur. Veſpaſianus re militari,
prudentia in rebus gerendis, &
virtutibus moralibus excellens, ad
Imperium ſibi viam ſtravit. In Pa-
leſtina poſt Africæ Præfecturam con-
tra, Jùdæos Rebelles, triumphans,
Imperator ſalutatur; glorioſo regi-
mine expectationem non defrauda-
vit: magnus in pace, & in bello.
Titum Filium ſucceſſorem habuit,
qui Patri non impar, ob ſuam cle-
mentiam Imperii gaudium, & de-
liciæ factus, quà die nulli beneficium
impenderat dicere fuit aſſuetus *ami-
ci Diem perdidimus*. Eruditorum
amantiſſimum ſe exhibuit, & Poe-
tarum; quapropter Martialis Poeta
Hyſpanus valdè Tito fuit acceptus,
cui poſt biennium ſubrogatur * ejus 79
Frater Domitianus. Hic duodecim

Seriem Imperatorum claudit, quos Cæſares vocant. Incontinens æquè ac vanus Deitatis ſibi nomen temerè arrogavit, cum neque ut homo, ſed ut animal viveret, muſcarum venationi tempus inutiliter terens. Nihilominus cum rei militari excellentes Duces præfeciſſet, eorum virtute Imperium per Britanniam, & Hiberniam ampliavit. Secundæ in
92 Catholicos perſecutionis *impius promotor extitit. Vixit ſub eodem Joſeph Judęus celebris ſcriptor de antiquitate Judeorum, quem S. Hieronimus Titum Livium Græcorum appellat, ferè coævus Tito Livio Patavino, hiſtoriæ Romanorum ſcriptori celeberrimo.

In Domitiani perſecutione plures de Tiranno triumpharunt, in-
94 ter quos S. Joannes Evangeliſta * in ferventis olei dolium miſſus, inde illeſus eripitur, & in Patmos Inſula exulare coactus, Domitiano * à Liberto trucidato, ſuam ad Epheſinam Eccleſiam reverſus Evangelium ſcripſit, Nerva Clementiſſimo impe-
96 rante, à quò Traianus * in Imperii conſortium adoptatur, cum jam Ec-
cleſiam

cleſiam regeret Clemens I. R. quem cin regimine per duodennium præceſſerat Cletus R., qui in Epiſtolis ſalutem, & apoſtolicam benedictionem primus præfixit.

Clemens itaque circa annum 91. Pontifex inauguratus ad Pontificiæ dignitatis decorem Pontificales veſtes in Eccleſia militante primus induxit, & induit: acta Martyrum ſcriptis commendari præcepit, ſelectis per ſeptem Urbis regiones ſeptem notariis, martyribus & ipſe aſſociatus * 101
in ſolitudine Cherſonenſi, ubi à Trajano fuerat relegatus. Clemente in exilium pulſo Romanæ Eccleſiæ neceſſitatibus vigilabant Presbyteri, qui Romano Pontifici, cum Romæ ſuam faceret ſtationem pro Eccleſiæ pondere ſuſtinendo, conſilio, & operà circumſtabant, quod Cardinalium eſt munus, quamvis Cardinalis nomen tunc temporis nondum eſſet auditum. Clemens in ſuo exilio auctoritatis Pontificiæ non immemor, per Epiſtolas Catholicæ Religioni, ampliandæ incumbebat, Dum Traianus potenti exercitu Imperio dilatando inſudans, Da-

ciam ſubjiciens, Armeniam de Parthis recipiens, totam ferè Aſiam ſubjugans, ad Jndos uſque erat progreſſus. Suos pluribi Romæ triumphos expreſſit, magnificis erectis ædificiis, quibus cum ſtudioſius nomen ſuum inſcriberet, dictus eſt Herba Parietaria. Inter Traiani monumenta magnificentiam: redolentia, Urbi adhuc & orbi ſpectabilis eſt Columna Traiana.

De Clementis Martyrio certior factus Clerus Romanus, Anacletum
112 Antiochenum * ſtatim Pontificia erexit in Cathedra. Eccleſiaſticos tonſis crinibus incedere, à tribus Epiſcopis Epiſcopum conſecrari inſtituit, nec non pſalmodiæ uſum fecit frequentiorem. Furebat interim tertia ſub Trajano in Eccleſia Perſecutio, in
110 quà poſt Anacletum Martyrio *conſumptum, ordinatur Ævariſtus, qui ſeptem Diaconos Epiſcopo verbum Dei promulganti aſſiſtentes deſſignat, partita in parecias urbe, aquam luſtralem ſale miſceri, & in domibus Fidelium mandat cuſtodiri.

Inter viros, quos ob ſapientiæ Laudem ſub Trajano fama commenda-

dat nemini non notus Plutarchus à Trajano (ætatis 64., Imperii 16. * de- 117
functo, cujus fabuloſa eſt narratio de eodem per S. Gregorium ab Inferis redempto) Conſulatus dignitate inſignitus. Floruit etiam Plinius Junior, cujus quàm excellens ſit Panegiris Trajano dicta, eruditis omnibus perſpicuum eſt, quibus tamen etiam conſtat adulatorio calamo fuiſſe exaratam; Crudelitatis enim, incontinentiæ, & ebrietatis vitia, quibus Trajanus cęſaream fædavit dignitatem, tantam de Principe laudem non patiebantur. Nihilominus Plinius licet in Panegiri aulicum ſe probaverit, virtutibus tamen moralibus excelluit, quem etiam Chriſtianæ Religioni nomen dediſſe aſſerentes, neque omninò ſunt improbandi; Certum eſt dum in Bithinia præſidis officio fungeretur, in defenſionem Chriſtiani nominis dediſſe ad Trajanum Æpiſtolas Apologeticas.

Inter Orthodoxos, quos Martyrii laurea ſub Trajano excepit, celebris eſt in univerſa Eccleſia Ignatius Anthiochenus antiſtes, Clericorum Regularium in Syria Inſtitutor, qui

 in

in Amphitheatro coram univerſo Populo leonum dentibus contritus, dignam ſe Chriſti frumentum exhibuit anno 108. vivente adhuc Anacleto Pontifice, & Martyre, cujus duplicis gloriæ, Pontificatus ſcilicet, & Martyrii conſortes efficiuntur Ævariſtus
119 Græcus, & Alexander R. * Ævariſto ſuffectus, cum Laicos Vaſa Saçra tangere prohibuiſſet; Florente tunc temporis Romæ Juvenali Aquinate, ſatis noto in orbe Litterario ob ſuas ellucubrationes ſatyricas, & Adriano acceptiſſimo. Excelluit in omni penè ſcientiarum genere Adrianus, cujus clementiam prædicat liberalitas, quà debitum ſibi à Populo tributum condonavit, & iterum renovata Jeruſalem à Tito ſubverſa ſub nomine Æliæ Capitolinæ. Deorum cultui ſuperſtitiosè deditus, etiam Ægyptias divinitates Serapidem, & Iſidem Romanis adorandas propoſuit, quem cul-
130 tum improbans Alexander * Marty-
139 rio coronatur. Fatis cedit * Adrianus, cum Primus inter Imperatores barbam nutrire cæpiſſet, adoptato prius Antonino Pio, ſub quo Sixtus R. Pontificatum Martyrii gloria * cumulavit. An-

Antonino Pio pręcipiente ſuperba moles ſepulcro Adriani fuit impoſita, nunc Caſtrum S. Angeli dicta, Architectícæ artis tunc florentis excellentiam probans. Meritò Pius fuit antonomaſticè dictus hic Princeps, dicere aſſuetus, ſe magis amare unum conſervare civem, quam mille hoſtes interimere: tot bella orbem non conſumerent, ſi in hoc digno Principe ſenſu Principes abundarent. Sub ejus Imperio poſt Sixtum, à quo quadrageſimale jejunium ab Apoſtolis inſtitutum, decretò fuit firmatum, & ter Sanctus in Miſſa decantari præceptum, ſummo fungitur Sacerdotio* 152
Theleſphorus Græcus, natalitia in nocte Salvatoris triplex ab unoquoque Sacerdote offerri Sacrificium, & Gloria in excelſis in Miſſà concini debere pręcipiens. Poſt undecimum Pontificatus annum igne perſecutionis conſumptus, glorioſam Martyrii palmam * promeruit, eodem anno, quo per Incendium Romę excitatum 340. Inſulæ, & Pacis Templum igne abſumuntur.

Higinius Athenienſis in Teleſphori ſucceſſorem * electus, hierarchiam 153

Eccleſiaſticam, de qua in actibus Apoſtolorum agitur, explicuit; quæ in templorum conſtructionem fuerint adhibita non poſſe in profanum uſum transferri decrevit, & ſedulò Eccleſiæ vigilans incremento, Valentino, Cerdoni hęreſiarchis ſeſe oppoſuit; martyrio coronatus Pium Aquilejen-
156 ſem *ſucceſſorem habuit; ab hoc pontifice die Dominico paſchalem ſolemnitatem celebrandam, ſicut jam Apoſtolorum Princeps conſtituerat ſancitum, poſt novennium à ſuſce-
165 ptione regiminis * martyrio laureatur ſub Marco Aurelio; quamvis enim ab Imperatore in Catholicos non fuerint expreſſè decreta ſupplicia, nihilominus cum Idololatriæ promulgandæ eſſet Imperator ſtudioſiſſimus, quartæ locum dedit Perſecutioni, quapropter inter Chriſti Athletas S. Pius triumphat, multis nominibus de Eccleſia benemeritus: ab hoc Pontifice ritus in ſacris Virginibus velandis eſt invectus, & Pudentis Senatoris domus primum Apoſtolorum Romæ hoſpitium Deo in honorem S. Pudentianæ conſecrata, inter omnes Urbis Eccleſias vetuſtatis obtinet pręrogativam.
hæc

Hæc nobilis & pia Virgo ſedula in Martyrum obſequio, eorumdem corporibus humandis ultimum impendebat Charitatis officium.

Miniſtrorum potius livore, quàm Imperatoris, cæterum per ſe humaniſſimi, ſæviebat in Catholicos perſecutio; nam Cæſaris erga Populos mitiſſimum animum commendant vendita prætioſiora monilia, quorum prætio maluit poſt exhauſtum erarium, bellorum continuandis ſumptibus providere, quam Subditos novis impoſitis ſubſidiorum ſarcinis gravare. In tantæ humanitatis Principis erga Subditos teſtimonium, erecta à Populo Romano Marco Aurelio ſtatua equeſtris, magni opus artificis, quod etiam nunc in Capitolio exteri Romam adventantes admirantur. Plures barbaros populos imperii obedientiæ coegit Marcus Aurelius, præcipuè Marcomannos, ſive Bohemos, de quibus Chriſtianæ legionis virtute triumphavit. Nobilem triumphum, ad perrennandam poſteris Memoriam in Columna affabræ elaborata exprimi mandavit Auguſtus, Antonini Pii, à quo fuerat ad Imperiale ſolium ele-

vatus ſtatuâ ſuper erecta. In foro Columna inviſitur hoc nobile ſculpturæ monumentum, à Sixto V., unà cum D. Pauli ſtatuâ ſuperpoſitâ, ellevatum.

Sub Marco Aurelio præter Theleſphorum, Hyginium, & Pium, etiam
173 Anicetus Syriacus * poſt ſeptimum Pontificatus annum, & Soter Fundis
177 in campania ortus poſt quartum * pro Chriſti nomine dato ſanguine coronantur. Sothero Eleutherius natione Græcus ſufficitur, cujus ſolertia uſque ad Britannos ampliatur Chriſtiana Religio, cum Romani Imperii confinia uſque ad Parthos dilatantur. Eleutherius ſtatim electus, fidei propagationi addictus, in Angliam Evan-
178 gelio aquirendam * miſit Apoſtolicos Viros, à quibus Lucius tunc Angliæ regnans ſuperſtitione abdicata baptiſmalibus undis diluitur: ejus exemplo inhæſit poſtmodum anno 602. Rex Athelbertus. Ecchbertus verò piæ devotionis ſtimulatus affectu, Regnum ſuum anno 801. S. Petro, & Succeſſoribus fecit vectigale. Celebris eſt inter Angliæ Reges Memoria S. Eduardi II. anno 978. inſtigante Matertera, interempti. Fulget etiam San-

Sanctorum faſtis adſcriptus Eduardus III. ob caſtitatis virtutem in Conjugio illibatè ſervatam, Edittà Uxore Piiſſima conſentiente, circa medium XI. ſæculi, poſt temporale, æternum regnum adeptus, quod circa medium Seculi XIII. cum gloria martyrii, ob jura Eccleſiæ propugnata, conſequitur S. Thomas Canturbienſis Epiſcopus ſub Henrico II. qui tamen crimen ſuum pœnitentia expiavit, cujus exemplo haud quaquam inhæſit Henricus VIII. Annæ Bolenæ Lutheranæ, jam pridem in aulà, Reginæ famulatui addictę, amoribus fœdè captus, ex quo Anglicanum ſchiſma excitatum, & ſub Eliſabetha Henrici, & Bolenæ Filia adauctum. Tanta eſt vis profani amoris, ut cujus animum ſemel fortiter oppreſſerit, uſque ad abiicendam Religionem Præcipitem agat in Profundum malorum. Irreparabili huic damno obnoxius fuit Henricus; excellenti enim dotatus ingenio, contra Lutherum cum eruditum acuiſſet calamum, & à Leone X. Fidei Defenſoris glorioſiſſimo titulo condecorari meruiſſet, amore obcæcatus, ut Annam Bolenam in Uxorem duceret,

te-

temere Catharinam Aragonenſem legitimam conſortem, & Religionem abiecit; Cardinali Joanne Ficheto, & Thoma Moro ad illicitas nuptias à Rege meditatas obſiſtentibus, capite impiè damnatis; cui Capitali Sententiæ paucos poſt Annos ipſam Bolenam Rex adjudicavit, ut Joannam Seimour novam amaſiam ſibi deſponſaret: cumque ut ſuis indulgeret amoribus jam ſexto nuptias contraxiſſet, tandem ad inevitabiles mortis anguſtias redactus, in his vocibus ingemiſcens animam egit. *Amici omnia perdidimus Regnum, famam, conſcientiam, & Cælum*. Poſt Eduardum, & Mariam Regno potitur Eliſabetha, quæ Catholicæ Religionis inimiciſſima, Calviniana labè infecta, moribus crudelis, nec Amicis, nec Mariæ Stuardæ Scotiæ Reginæ pepercit, pluresque Proceres ex ordine tam Eccleſiaſtico, quam civili, morte damnavit, renovans Londini feritatis exempla, quæ
181 Romæ Commodus Aurelii Filius * ad Imperium aſſumptus exercuit, nec Sorori parcens; plures etiam ex ordine Senatorio, ſuæ crudelitatis victimas, fecit, inter quas computatus
eſt

eſt Eleutherius eodem anno, quo Cæſar * veneno fuit extinctus. Duodecim annis Commodus geſſit imperium; vix cum illius impietate comparari poteſt Neronis crudelitas. Herculem Jovis Filium ſe jactans, divinos à Senatu exegit honores, cui cum obedire detrectarent catholici, pluribus vexati fuerunt tormentis: martyrio probandis animum adiiciebat Victor Africanus * Eleutherio ſuffectus, ſub quo plures circa Celebrationem Paſchatis excitatæ quæſtiones, quas in diverſis Conciliis componere ſtuduit. Conciliorum decreta ut innoteſcerent, epiſtolas Encyclicas, Decretales, Paſtorales, Synodicas induxit, ejuſque ſanctiones ubique venerabunda recipit Chriſtiana Reſpublica, cum admirabundus penè orbis univerſus * tres circa ſolem ſtellas conſpexit, & ſolius anni brevi circulo tres ſalutat Roma Cæſares, ſcilicet Pertinacem poſt tres menſes à militià trucidatum. Didium poſt duos menſes à Tribuno interemptum, & Severum ſub quo, * martyribus aſſociato Victore, Zefe-rinus R. Eccleſiæ præficitur.

192

193

194

201

Zelantiſſimus Pontifex Tertullia-

num

num ad Montaniſtas declinantem anathemate percutit. S. Æuchariſtiæ ſumptionem circa Paſcha adultis omnibus præcipit, dum quintam patitur ſub Severo Auguſto perſecutionem Religio Catholica, cujus veritatem eruditè probat Minutius Fęlix
209 Romæ Cauſidicus * apologià exhibita ad Severum natione Afrum, de Parthis, Medis, & Arabis triumphantem, mox etiam rebellium Judęorum inſolentiam ſeverè compeſcuit. Poſt relatos in Oriente Triumphos, in occidente propè Lugdunum Albinum debellat; has inter Imperii fælicitates, adverſam inter domeſticos lares nactus fortunam, à proprio Filio necem ſibi intentatam aprǣhendens,
211 mærore confectus Æboraci in anglia * deceſſit, ejuſque Filius Caracalla Imperium aſſumit, ob ſuam ſævitiem commune odii objectum, tam ſubditis, quàm exteris factus: Medicos, eo quod Patri ſuo mortem non accelleraſſent interemit. Fratrem etiam Getam inter matris ulnas ſuffocavit,
217 tandem & ipſe à Centurione * necatus, cum ad ſuam explendam ſævitiem, ſupra 20. mille homines morte da-

damnaſſet. Grave admodùm ſenſit non modo ob ſævitiem, ſed ob onera impoſita ejus Imperium Romana Reſpublica, quam ad paucos menſes regendam * aſſumit Macrinus, populo 218
ob Iufames ſuos mores deſpicabilis, non minus, quam Succeſſor * Ælioga- 219
balus, eodem anno ad Imperium ſublimatus, quo Caliſtus R. poſt Zefirinum (inter Pontifices primum naturali morte ſublatum) ad ſummum Sacerdotium fuit aſſumptus. Caliſtus Apoſtolicarum traditionum Zelator egregius, jejunium per quatuor anni tempora confirmat, quod ex antiqua traditione jam invaluerat. Omnibus virtutum exercitiis addictiſſimus, dum ſe probat Summo Dignum Sacerdotio, indignum Imperio ſe exhibet Æliogabalus, factus in juvenili adhuc ætate omnium ſentina vitiorum: vitam tot contaminatam ſceleribus egit, ut Sardanapalus fuerit antonomaſticè dictus. Adeo effeminatus, ut Senatum Mulierum, in quo earumdem cauſæ judicarentur conſtituerit, cui matrem ſuam præfecerat; à militibus ejus imperium indignè ferentibus obtruncatus in Tibe-

223 berim * proicitur, imperioque potitur
Alexander Severus, ſub cujus regimi-
ne ferè Gallia univerſa Chriſtianæ
Religioni nomen dedit: Ad omnes
tunc cogniti Orbis partes dilata-
tam fuiſſe tertio ineunte ſæculo Fi-
dem Catholicam, teſtatur Tertullia-
nus; imo ipſum Alexandrum Seve-
rum, cum obſiſtentibus Gentilium Sa-
cerdotibus Chriſtum in Deorum nu-
mero deferre, ſicut optaverat, non va-
luiſſet, in Larario ſuo privatim co-
luiſſe, ſunt qui aſſeverant: nec à ve-
ritate alienum putaverim hoc aſſer-
tum, cum ejus Matrem Mammeam,
Origene præceptore, in Chriſtianæ
Religionis myſteriis inſtructam fuiſſe
teſtetur D. Hyeronimus. Tam dignæ
Matris hortatu digniſſimum Filius
ſancivit edictum, quo nullos Magi-
ſtratus fieri poſſe venales decrevit,
aſſerens fieri non poſſe quin vendat,
qui emerit; nec poſſe à Principe ani-
madverti in eum qui vendat, quod
emerit. Ubi venales ſunt Magiſtratus,
experientia docet juſtitiam non admi-
niſtrari, ſed vendi.

Sub Seveto Martyrii Laureà dè-
224 coratur S. Caliſtus * poſt quem Pon-
tifi-

tificatum gerit S. Urbanus; vaſa ſacra ex argento primus adhibuit; Tiburtium Cæciliæ Sponſum, & Valerianum ſponſi Fratrem ſacro tingit lavamine: ſexto Pontificatus anno * 231
dato capite pro Chriſti Nomine Sanctum Pontianum R. Pontificatus, & Martyrii ſucceſſorem * ſortitur, cujus 235
meritâ præcipuè veneratur Sardinia, ubi Glorioſus Pontifex fuit exulare coactus. Hæc Mediterranei Inſula, Regni inſigniis condecorata, à Sardo Herculis Filio, qui ibidem ducta Colonia ſuam primus fecit ſtationem, etiam ſortita eſt nomen: Progreſſu temporis diverſa eſt experta reginimia, primò à Carthaginenſibus ſubjugata, deinde à Romanis capta; poſtmodum à Saracinis deprædata, ab eorum jugo Januenſium, & Piſanorum ope ſoluta, mox conſentiente Bonifacio VIII. ab Aragonenſibus aquiſita, ex tunc Hyſpaniæ Monarchiæ paruit, uſque dum per peculiares tractatus anno 1718. Victorium Amedeum Sabaudiæ Ducem ſuum ſuſcepit in Regem. Celebris eſt in hoc Regno diverſorum Sanctorum, qui ibi exules, & Martyres deceſſerunt memoria,

ria, præcipuè ſancti Pontiani. Dum ibidem Sanctus Pontifex Lauream acquirit Martyrii, Romæ Imperator ob inſignem de Arthaxerſe Rege Perſa relatam victoriam laureatus triumphat. Quàm infęliciter Artaxerſes poſt victum Arthabanum moverat arma in Romanos, tam fęlicius Zenobia Palmirenorum Regina contra Syrios, & Fœnicios decertavit, ubi à militari inſolentià plures dirutæ urbes, dum ab Hungarorum ſolertia Siccambria, nunc Buda dicta, ſua novit initia.

Ponrifex inauguratur S. Antherus Græcus, cujus ſecundo Pontifi-
236 catus anno * Maximinus Imperium conſequitur, ſextæ perſecutionis contra Orthodoxos excitator, in qua Antherus cum acta Martyrum ad ſinceræ veritatis trutinam reduxiſſet,
238 etiam martytibus * eſt aſſociatus. Vaccante per annum Pontificatu S. Cyprianus cum Clero Carthaginenſi ad Romanum Clerum direxit epiſtolas, ſuper vertentes tunc controverſias, à Fabiano R. dirimendas, quo Pontificatum ineunte, Imperium dimittere cogitur Maximinus una cum Filio

Filio Aquilejæ Obſes à militibus interemptus: Maximino nunquam vidit Orbis crudeliorem Tyrannum, quem ſolum ad inaudita invenienda ſupplicia meritò dixetis acuiſſe Ingenium. Eò pervenit ejus ſævities, ut vivorum corpora cum mortuis conſtricta relinquetet, uſque dum fœtore, putredine, & vermibus conſumpta, adeo inhumanum paterentur martyrium, quod humanus animus horret excogitare, & referre.

Sedente Fabiano Principatum gerit Gordianus; ſtatinque contra Gothos, actenus Romanis ignotos * pu- 239
gnam intentans, eoſdem fœliciter unà cum Sarmatis, Germaniſque Thraciam incurſantibus aciæ delevit Principavit poſt Gordianum * Balbinus 241
per annum, Gordianus alter per annos ſex, & Philippus unà cum Filio, Philippo etiam dicto, per annos quinque, quorum poſtremi primi ſunt inter Cæſares, qui Catholicæ Religioni ſe devoverunt. Studuit Philippus Regnum gerere pacificum, & civili conſortio proficuas leges promulgare. Cum Sapore Rege Perſarum in pace compoſitus, Romæ Sæculari-

laribus Ludis, cæſarea magnificen-
248 tia currente millenario * à fundatione
Urbis celebratis, dignus utiquæ qui
diutius regnaret, trucidatur à Decio
249 Imperio inhiante * Catholici nominis hoſte infenſiſſimo, quod ſeptima perſecutione excitata, pęnitùs abolere, ſed in caſſum, propoſuerat; Dum perſecutionis ignem Decius contra Eccleſiam accendit, Romæ potior pars ab igne, nocturno tempore excitato conſumitur. Conſona magis ſcriptorum opinio eſt circa hæc tempora, de anno enim præciſo nihil certum habetur, contigiſſe Tertulliani deceſſum, cujus ingenium, & opera omnes admirantur, & caſum deplorant; Carthagine ex nobili Familia, ſed pagana ortus, aſſidua librorum lectione agnitionem veræ Religionis aquirens, ſuſcepto Baptiſmate Zelo, veræ Fidei dilatandæ æſtuans, verbo, & ſcriptis Catholicum ſe probavit athletam. Librum Apologeticum, quem pro defenſione Fidei promulgavit, quot verba, tot ſententias, quot ſententias, tot victorias continere, communis eſt eruditorum ſenſus. Quis ad tanti viri exemplum cum timo-

timore, & tremore ſuam operari non ſtudeat ſalutem: ambitione obcæcatus, primò in Priſcilianiſtarum, mox in Montaniſtarum errores lapſus, funeſtum inter hæreſiarcas exitum habuit, qui à ſuæ converſionis exordiis ferventiſſimum ſe exhibuerat Orthodoxum.

Tertulliano ab Eccleſia deficiente; pro Eccleſia ſuſtinenda ad Martyrium potius, quàm ad Pontificatum properat * Cornelius R.(Schiſ. 251
ma I. Novatiani adverſus S. Cornelium Papam) eodem anno capite mutilatus, quo Gallus Eccleſiæ perſecutor, biennio poſt aſſumptum Imperium à militibus * confoſſus cedit 253
Valeriano, & Galieno Principatum, S. Lucio R. poſt Cornelii Martyrium
* implente ſummum Sacerdotium, 254
qui pariter poſt annum, & aliquot
menſes * cum Martyribus triumphat, 255
facta ordinatione ut Epiſcopus unà cum duobus Præsbyteris, tamquam ejus actionum Teſtibus incederet. Moritur hoc anno Tyri Origenes ætatis annorum *69*. Leonidis Martyris Filius, multis pro Fide Catholica vexatus tormentis, de cujus prævarica-

tione à Fide controvertitur inter Criticos. Ejus librum *Periarchon* inſcriptum, multis ſcatere erroribus, qui Pelagianiſmum ſapiunt, negari haud quaquam poteſt; an autem per invidiam à malevolis, aut Hæreticis fuerint errores inſerti, revocatur indubium: ſcriptis quæ Origeni tribuuntur conſonat Caſſiodori Judicium. Ubi benè nemo melius, ubi malè nemo pejus.

Lucio ſubrogatur S. Stephanus R., poſt biennium ab electione, Mar-
257 tyrii laureâ * coronatus. Stephano S. Sixtus II. Græcus, triduò ante Levitam Laurentium Hiſpaniæ decus in octava perſecutione ad Martyrium
258 ductus, quo conſummato * Dionyſius pariter Græcus Pontifex ſalutatur in Urbe, cum Gregorius ob ingentium miraculorum copiam in toto orbe conſpicuus, Taumaturgus nuncupatus, ſcripturarum intelligentiâ celebris, jam Origenis auditor, ad Epiſcopale Solium Neoceſarææ in Ponto ſublimatur, ubi inter alia prodigia patrata, precibus montem tranſtulit, & lycum exundantem baculo coercuit.

Va-

Valerianus, ſub cujus perſecutione tot Chriſti Fideles crudeli ſuccuberant exitio, mundi vicibus, & ipſe miſerè ſuccumbens, à Sapore Perſarum Rege factus captivus, * Regi 261 equum aſcendenti dorſum ſubmittere cogitur, quas inter anguſtias, miſerabili apud Perſas ſenectute conſeneſcens; tandem excoriatus ſale conditur. Tanta fuit Saporis Inhumanitas, quæ ferè omnem apud poſteros viſa eſt excedere crudelitatem. Sapori Fortuna in bello propitior fuit, quàm Arthaxerſi ejus Patri, quem Romanus Exercitus ſub Alexandro Severo miſerè profligaverat, adeout penè contigerit in ipſis Perſarum Regni Primordiis Regnum extingui. Arthaxerſes ſiquidem primus in Perſide Regno initium dederat anno 226., inter cujus Succeſſores adeò commendabilis prudentiâ fuit Iſdigerdes, ut Arcadius moriturus, filium ſuum ſub Iſdigerdes tutela conſtituerit. Diù floruit Perſarum Regnum, triumphis auctum, donec à Saracenis, Hormiſda Rege Perſarum anno 647. in bello capto, Turcarum jugo fuit ſubmiſſum, quod iterum

excutit ſub Tergulbero anno 1038. Saracenorum expulſore. Utroſque tamen Perſas ſcilicet, & Saracenos anno 1401. Tamerlanus orbis terror, Tartarorum ſtipatus Exercitu, 200. mille Turcis profligatis, ſibi fecit Tributarios. Sed iterum partito inter Tartaros, & Perſas Imperio, reviviſcit ſub Uſſum-Caſſano anno 1469. Perſarum Regnum, quod actenùs ob continua bella Turcis infenſum, in Uſſum Caſſani Succeſſoribus perſeverat. Moleſtos etiam nunc temporis Turcæ experiuntur, identidem ſive magnę, ſive parvæ Tartariæ Reges; Priorum Imperator Magnus Kam communiter nuncupatus, anno 1369. novam fundavit Tartarorum dominationem. Cum autem duplex ſit Tartaria, vltra & citrà Volgam; Tartariæ pars citrà, in novum Regnum anno 1452. eſt erecta, ita tamen ut ex quo Selinus Turcarum Imperator potenti Exercitu Tartaros citra Volgam invaſit, parva Tartaria, uſque in præſens Turcis fuerit Tributaria. Hæc de Tartarorum Regno duxi ſubiicienda, occaſione arrepta ex Rege Perſarum, ſub quo dum Valeria-

nus

nus captivus miſerè ingemiſcit, & moritur *Gallieno Filio Imperiale Solium relinquit, cui opus fuit triginta Tyrannos opprimere, Gallieno Regnante Imperium affectantes. Sed præter excitatas à Tyrannis vexationes, aliis calamitatibus, inundationibus, atque contagiis obnoxium fuit Imperium, cui regendo cum ob ſuas diſſolutiones Galienus indignum ſe redderet, inſtigante Claudio Exercitus Duce, Mediolani * gladio confoditur. Propter ejus ignaviam Illyricum, Ægyptum, Africam Tyrannis occupantibus, irrumpentibus in Italiam Alemannis, etiam Dania Romanum jugum excuſſit.
261
268

Fęlicius res ſe habuit ſub Claudio II. Ticinii ab Exercitu in Cæſarem electo; ſtatim de Gothis, Sarmatis, & Schitis triumphante. Multis eum Laudibus commendat Trebellius, reticens tamen ſummam ſævitiem, quam in Orthodoxos exercuit, in cujus pęnam peſte * conſumitur, ſuccedente Aureliano eodem anno, quo concilium 2. Anthiochenum impio Paulo Samoſateno anathema dixerat. Contra decreta
270

Concilii Paulo ad Cæſarem reclamante, Aurelianus quamvis Gentilis eumdem Romani Epiſcopi judicio remiſit. Interim Imperator contra Alemannos, & Marcomannos Imperium infeſtantes gladium exerens, de
271 iiſdem * triumphat; Mox contra Catholicos excitat perſecutionem. Ab Aureliano Zenobia Palmirenorum
273 Regina * fuit devicta, quæ ob omnigenam virtutem, & eruditionem in Hiſtoricis faſtis commendatiſſima, in bellicis laboribus conſumata, ſæpe armis munita, ſuum viſa eſt præire Exercitum, & tamquam Præliator fortis hoſtiles aggredi copias; pluribus cumulata triumphis, penè totum Orientem ſubegit, donec alternante fortuna, ab Aureliano captà, Romam captiva deducta, ob morum compoſitionem, & animi in adverſis conſtantiam probitatis exemplum Romanis facta, ibidem fortunæ ceſſit, & fatis, Cum Felix R. poſt, Dionyſium Græcum ſummum gereret Sacerdotium, ad quod Dionyſius ſtatim ac fuerat circa annum 260. ſublimatus ſtuduit Sabelii, nec non Pauli Samoſateni hæreſes comprimere. Felix

verò circa annum 270. Dionyſii Succeſſor, ſuper Reliquias Martyrum Sacrificium celebrari conſtituit, & ſuo intentus regimini, in nona perſecutione ſæviente Aureliano, poſt quartum Pontificatus annum * deceſſit, cujus gloriæ conſors veneratur 275
S. Æutichianus Pontifex, Caro * Imperante, Tacito ad ſex menſes, Probo ad ſex circiter annos in Imperio præmiſſis. 281

Tacitus cui ſanguinis neceſſitudine conjunctus fuit Tacitus Hiſtoricus, laudabile moderatione Regnum geſſit, ſed admirabili prudentia Probus adminiſtravit. Vix credibile eſt quàm inſignes de Inimicis reportaverit triumphos, quatuor centum mille Alemannos profligaſſe, Sarmatas in Illirico expugnaſſe, & Gothos in Thracia narrant Hiſtorici; quà enitebat prudentia, comitas, virtus militaris, totius orbis amorem ei conciliaverant, ſed ęgrè ferente militia, in qua continebatur à Principe diſciplinam, militaris ſeditionis victima concidit, relinquens omnibus exemplum Principibus, quàm difficile ſit Regnum gerere, quandoquidem Rex

ſi male gubernaverit omnibus diſplicebit, ſi benè paucis placere poterit, cum pauci ſint juſtitiæ, & æquitatis amatores. Quapropter meritò dicere conſueverat Domitianus, quàm miſera, & ærumnoſa eſt Regnantium conditio, qui à Tyrannidis falsà ſuſpicione tum demum liberantur, cum diem jam claudunt extremum; quamvis itaque Longiori dignus Imperio abſcinditur Probus ab inſano militum
282 furore, eodem anno * quo Æuthichianus à ſtulto Gentilium zelo obtruncatur, cum primùm contra Manetem benedictionis fructuum pium uſum induxiſſet. Æutichianum ſubſequitur in Pontificatu Cajus Dalmata, & Probum in Imperio Carus miles, cujus Filius Numerianus ob præmaturam Patris mortem tanto fuit dolore contactus, ut per effuſam Lacrymarum copiam luminibus orbatus, nec fuerit Regnare permiſſus, qui enim ob munus regiminis, etiam in ſacris paginis *Videntes* vocantur, viſione orbati, regimini impares eſſe cenſentur. Paſtoris enim non mercenariorum oculus gregem impinguat, & ad ſolertem Subditorum cuſtodiam,
ſi non

ſi non ſemper, ſaltem ſæpe Principis oculus eſt neceſſarius. Proindè oculorum deſtituto Numeriano, Diocletianus Dalmata * Cæſar inauguratur. 284
Sub quo S. Sebaſtianus miles gloria Martyrum * glorioſè decertat, & S. 286
Cajus poſt duodecimum Pontificatus annum glorioſam mortem oppetiit, ſuccedente Marcellino R. * de cujus 296
lapſu, & cauſâ in Concilio Sinueſſano agitatâ, nihil certum. Innegabile eſt quod S. Pontifex poſt ſeptennium ab aſſumptione, in glorioſo conflictu pro Fide ſuſtinenda fortiter dimicans, invictâ conſtantiâ de Mundo, & Tyranno glorioſus triumphavit, dum Antonius Ægyptius in Eremo Thebaidis, contra Inferni Phalanges, pro innocentia morum ſervanda cilicio armatus, inſignes reportabat victorias, factus vitæ Monaſticæ, & Solitariæ Pater, cujus amore capti plures etiam nobilitate ſanguinis conſpicui, ſub ejus diſciplina mundo vale dicto, ſanctiſſimè militare * cæperunt. Antonium vitæ 300
ſolitariæ exemplo præjuerat S. Paulus primus Eremita, ætatis annorum 23. Sub Decio circa medium ſæculi ter-

tii ut à perſecutione declinaret ad Eremum profugus factus, ibi per annos nonaginta mundo mortuus, ſoli Deo vivere ſtuduit. *Ordo dictus Eremitarum S. Pauli* in Hungaria ab Euſebio Strigonienſi anno 1215. inſtitutus D. Paulum Eremitam in Patronum elegit. Macarius pariter, & Pacomius in Ægypto ſibi aſſociant Religioſiſſimas Monachorum copias, qui continuis macerationibus, & flagellis cruentum contra Inimicos communes bellum intentant, dum Diocletianus unà cum Maximiano Imperio aſſociato, in decima Perſecutio-
303 ne * effundit Martyrum ſanguinem, ut eos faciat veræ Religionis exortes, cujus impio decreto urbs Frigiæ Chriſtiana, pro Religione Catholica tota comburitur, cum bellis ardent Africa, Aſia, Sarmatia, & Anglia. Hac in ſæviſſima ſuper cæteras perſecutione contra Catholicos, ſolus Ægyptus 144. mille Martyribus cęlum cumulavit, ſed cum ſanguinis effuſionem nihil proficere ad extinguendum veræ Religionis ardorem Imperatores animadverterent, laborioſis Thermarum Ædificiis Romę, Mediolani, Aquilejæ,

lejæ, Viennæ aliiſque in Urbibus Catholicos condemnarunt.

Diocletianus inter tot bella regiminis pertæſus, hactenus inaudito exemplo Nicomediæ * Imperium abdicat, & vitam ſolitariam dominatui præferens, poſt duodennium mærore conſummitur, eo quod Religionem Catholicam, quam totis viribus eradicare ſtuduerat, ſub Conſtantino magis, ac magis refloreſcentem conſpiceret. Diocletiani ſenſibus inhærens Maximianus, etiam à regimine Mediolani recedit, cum Dania Romanum Jugum nunquam poſt hac ſubitura iterum excutit; Imperiumque aſſumit Conſtantinus Clorus Catholicæ Religioni propenſus, ſuum paulò ante deceſſum * magnum Conſtan- 306
tinum deſſignans Imperio; quod cum ægrè acciperet Maxentius Catholicorum inimiciſſimus, crudelitatis monſtrum, tunc Romæ degens, Imperialem titulum ſibi arrogat, ejuſque crudelitatis victima fuit præ cæteris Marcellus Pontifex, in catabulo Beſtiarum incluſus, ubi loci fæditate ſuffocatus, Martyrii palmam * pro- 309
meruit, cui ſufficitur Euſebius natione

311 tione Græcus, & poſt biennium * Melchiades affricanus. Interim Conſtantinus Romam Tyrannum Maxentium oppugnaturus progreditur, & in ſigno crucis ſibi cælitus præmonſtrato
312 celebrem de Tyranno * concludit ad pontem Miluium victoriam. Ad hujus glorioſiſſimi conflictus perenandam memoriam, & ad crucis gloriam propagandam, in cujus ſigno ſalutifero pluſquam armis ſe noverat tri-
313 umphaſſe * crucis vexillum in urbe explicat, necnon auream Chriſti imaginem in Romano Senatu collocavit.

CAPUT VII.

DEletis Tyrannis, quorum alter ſcilicet Maximianus, qui iterum Imperium repetere voluerat, factus ſibi Carnifex ſeipſum Maſſiliæ laqueo ſuſpenderat, Maxentio in Tiberi ſuffocato, reddita per magnum Conſtantinum ubique triumphantem
313 Eccleſiæ tranquillitate, Melchiade * in pace defuncto S. Silveſter R. Ponti-
314 fex * renunciatur, à quo Conſtantinus de Catholicæ Religionis præceptis eruditus, & in ſacro fonte munda-

datus, Fidei dilatandæ, priuſquam Imperii ſtudio flagrans ardentiſſimo, ubique templa vero Deo ſacra conſtrui publico mandat edicto, quod ſuo prævenit exemplo, in honorem Principis Apoſtolorum, Doctoris Gentium, & S. Joannis magnificentia cæſarea dignis excitatis Baſilicis, ad quas devotionis erga ex toto orbe peregrinantur catholici, inter quos adeò doctrina excelluit hoc ævo Lactantius, ut jure meritò Chriſtiani Ciceronis ſibi nomen promeruerit.

Conſtantinus ut Chriſtianæ Reipublicæ ſe verum Tutorem, Defenſorem, & Protectorem probaret, nihil intentatum reliquit, maximè ut Donatiſtas hæreticos ad viam veritatis reduceret; deinde ut Imperii jura vindicaret contra Sarmatas * bellum ag- 321
greditur, quibus ſubactis Niceæ in Bithinia, Pontifice annuente, Imperatore expenſas miniſtrante * congre- 325
gatur primum generale Concilium pro Filii Dei Divinitate tutanda contra Arium, pro decernenda die celebrandi Paſcha contra Quartadecimanos, & pro Meletianorum ſchiſmate ſedando, ubi præter Symbolum Nice-

cenum 20. Canones à ſacro cætu promulgati fuere.

Concilio peracto Biſantium, poſt hàc Conſtantinopolis, à Conſtantino nobilibus auctum ædificiis, ſedes Imperii ſeligitur, non modo Thraciæ, ſive Romaniæ, ſed totius Imperii orientalis emporium. Ubique Ido-
331 lorum fana, ex Imperatoris edicto * demoliuntur. Ubique crux Chriſti extollitur, in cujus virtute plures Auguſtus cumulavit triumphos. Inſtituto demum ab Imperatore primo Ordine militari equitum S. Georgii, extremo morbo Nicomediæ corripitur, cumque eſſet ætatis annorum 65. poſt tot partas victorias, in æternum vi-
337 cturus * moritur, jam e vivis ſublato anno præcedenti S. Sylveſtro, cui ſuffectus fuerat Marcus R. poſt paucos menſes ab electione vitâ functus, & Sacerdotio, quem ſecutus eſt Julius pariter R. imperante Romæ Conſtante, in Oriente Conſtantio, in Galliis, Hiſpania, & Anglia Conſtantino Magni Conſtantini filiis, quibus tripartitum Imperii regimen Pater diſpoſuerat. Sed Imperio inhiantes exercitus duces, ſibi arrogatis Impe-

ria-

rialibus Inſigniis, jam tripartitum imperium in varia iterum ſcindunt regimina. Dalmatius in Armenia, Magnentius in Calliis, Nepotianus Romæ, Vetranionus in Pannonia, Silvanus in Gallia, Decentius in Hiſpania, armis ſtipati imperialem affectant dignitatem; at verò mortuo * 350
Conſtante, Conſtantius ditione fratris & viribus auctus, uſurpatores debellat poſt ingens prælium * ad Mur- 351
ſam inter Conſtantium, & Magnentium commiſſum.

Conſtantius hoſtibus ſuperatis, in Imperio pacificus, Julianum * Imperii 355
Succeſſorem proclamat, cum tertium Pontificatus annum à deceſſu Julii numeraret Liberius (Schiſma Fælicis 2. contra Liberium, quo defuncto Fęlix legitimè ſucceſſit). S. Athanaſii Eccleſiæ contra Arianos muri Inexpugnabilis exilio conſentire detrectans, in exilium pellitur, præcipiente Hęreſis fautore Conſtantio. Contra Arianorum perfidiam fortiter dimicavit S. Antonius, Laborumque ſuorum præmium recepturus tàm fæliciter * hominem exuit, quàm miſerè 356
moritur Conſtantius inter Ciliciam, & Ca-

361 & Cappadociam * appoplexiâ correptus; nec paulò poſt, ſcilicet duobus Imperii annis nondum abſolutis, Impio Juliano Apoſtata Conſtantini magni ex fratre Nepote, Eccleſiæ hoſte Implacabili, Idololatriæ reſtauratore, trigeſimo ætatis anno ictu
363 Lanceæ confoſſo, Jovinianus * ſalutatur Auguſtus; ſtatim impia Juliani edicta pro Paganiſmi dilatatione promulgata, novi Cæſaris juſſu retractantur; ſed Imperii regimine à Joviniano vix ad octavum menſem protracto, Valentinianus imperiali jure
364 * potitur, Gratiano filio à magno Auſonio Burdigalenſi in bonis artibus inſtructo, ad regiminis conſor-
367 tium * evocato, eodem anno, quo à Domini Spiritu Damaſus Hiſpanus ad ſummum vocatur Sacerdotium (Schiſma Urſicini adverſus S. Damaſum) an autem Fælix per biennium inter Liberium, & Damaſum legitimè ſederit controvertitur.

Inauditum viſum eſt hoc anno prodigium, lana ſiquidem pluviæ mixta in Arteſia cecidit. Nicęa verò
368 per Terræmotus anno ſequenti * penitus fuit everſa; inviſæ magnitudinis

gran-

grando Conſtantinopolim penè comminuit, cum anteacto biennio horribiles terræmotus, quaſi univerſum terrarum orbem concuſſiſſent, & ex terræmotu mari intumeſcente, plures urbes fuiſſent abſorptæ; tot inter univerſales calamitates, Damaſus ſui non immemor muneris, Sanctiſſimas promulgavit leges, inter quas pœnam Talionis Calumniatoribus conſtituit; Pſalmodiam ad meliorem formam redegit, facta etiam ordinatione ut verſus *Gloria Patri* ſingulos Pſalmos concluderet, ad æqualitatem trium perſonarum in divinis adſtruendam, quam tunc temporis impugnabant in Filio Arii fautores, quorum Malleus Athanaſius per annos 48. ab Arianis perſecutionibus impetitus, hoc anno in ſua* ſede 373
Alexandrina quievit.

Regnabat in Oriente Valens, Ariana labe infectus, catholicorum Perſecutor, ſed à Gotthis in domo pro
Aſillo ſellecta * cum fuiſſet flammis 378
conſumptus, junior Valentinianus Valentis nepos cum Gratiano fratre Imperii jura partitur; cumque Hunni, Allani, & Gothi Gratiani regnum

gnum vexarent, Cæſar contra eoſdem valido munitum exercitu Theodoſium de omnibus triumphaturum direxit; in victoriæ relatæ, præmium
379 Theodoſius aſſociatur * Imperio, cujus incremento ſtatim non minus ſtuduit, quàm Sacerdotii; qua propter ad evellendam Macedonianam hæreſim, ſecundam Æcumenicam Synodum, Damaſo conſentiente Conſtantinopoli * coegit, Epiſcoporum 150. inter quos enituit Gregorius Niſſenus, magni Baſilii Eccleſiæ doctoris Germanus, jam biduò ante cælitibus inſertus, inſtituto prius Ordine Monaſtico Baſilienſium, ſub cujus regulâ, quarto currente ſæculo, floruit ordo equeſter S. Lazari, leproſorum curæ addictus, noviſſimè à Ludovico XIV. in Gallia reſtauratus.

Vix exprimi dignè poterit quanta fuerit Theodoſii erga Eccleſiam ſubmiſſio, quantumvis enim Cæſareà dignitate emineret, S. Ambroſium Eccleſiæ Doctorem, de cæde Theſſalo-
382 nicenſi * redarguentem umiliter ſuſtinuit, libenter aſſumptà ſibi ab Archiepiſcopo Mediolanenſi inflictà pœnitentià, gerente adhuc tunc temporis

ris Damaſo Pontificatum, cujus juſſu S. Hieronymus novum teſtamentum Græcæ fidei reddidit. Hunc Eccleſię Doctorem antiqua Pannonia genuit, Roma erudiit, Bethlehem ad Præſepe Domini ſepelivit, ætatis annorum 80., ære vulgaris anno 420. Meritò Damaſus inter Pontifices, Theodoſius inter Imperatores magni nominis, ille in Sacerdotii, hic in Imperii regimine coævi, ambo Hiſpani, uterque Hiſpaniæ decus recenſentur. Damaſus Syricium R. habuit * Succeſ- 385
ſorem, Theodoſius pluribus Deo auſpice de Inimicis reportatis victoriis (inter quas illa ſpectabilis fuit, quà cœlo, ac tempeſtate favente Eugenium, & Argobaſtem tyrannos oppreſſit). Honorium filium * declarat 393
Auguſtum, & Mediolani ſecedens; ibidem extremo morbo correptus * commune omnibus ſolvit debitum mortis, bipartito priùs filiis ſuis imperio, nempè, Orientali Anchadio, Occidentali Honorio: quæ propriè ępocha eſt diviſionis Imperii in orientale, cujus ſedes Conſtantinopoli, & occidentale cujus reggia Romę fuerat conſtituta.

Ho-

Honorius in juvenili ætate magno parente Theodoſio orbatus, ſub Stiliconis tutella conſtitutus, cum Stiliconem progreſſu temporis non tutorem, ſed proditorem comperiſſet, ope Heracleonis interèmit: ab Alarici exercitu nihilominus vexatur, cujus hoſtili furori etiam ſuccubuit in oriente Arcadius, Ruffino malorum artifice. Ob privatas ſuas cauſas proditoriè Alaricum in Thraciam Ruffinus invexerat, contra quem Honorius in Arcadii Subſidium Gainam milite ſtipatum ab occidente in orientem direxit. Gainas Ruffino interempto, factus & ipſe Proditor, contra Arcadium arma palam impugnat, cujus furori Arcadius aliquandiù cędendum ratus, occaſione opportuna arreptà de Gaina triumphat, ejuſque capùt Conſtantinopolim ſuper haſtam delatum, omnibus irriſionis, cum prius terroris, factum eſt argumentum.

Præfatæ autem diviſionis deſolationes expertum eſt Imperium, non modò ſub Stilicone, & Gainà proditiones molientibus, ſed ſub Ruffino tertio Arcadii proditore, malorumque incentore, qui Alarico Gothorum Re-

Rege * ſecretò evocato aditum reſe- 397
ravit, ut furore bellico per Orientem, & Occidentem poſſet irrumpere; quapropter damnis à Gothis in hac irruptione illatis præſertim Roma ſuccubuit, ab iiſdem deprædata, & ſubverſa, cum Anaſtaſius R. * fuit ad 398
Pontificatum evectus, & poſt quadriennium*Innocentius I. qui S.Chry- 402
ſoſtomi cauſam contra Eudoxiam, defendendam aſſumpſit. Pelagium gratiæ hoſtem condemnavit, & repetitis in Conciliis contrà eumdem Anathema dixit.

Sacra Carmina circa hæc tempora canente Prudentio, horrendum carmen & veh per Italiam excipitur, iterum Irrumpente Alarico cum Gothorum exercitu, à quo nobiliores urbes deformantur, & iterato Roma
* ſubvertitur, hæc mala inaudita vo- 405
ce tellus ipſa prædixit, quæ repetitos dederat, & horrendos mugitus; reiteratis etiam Conſtantinopoli terræmotibus, inter quorum ſtrepitus, puer ſpectante populo in ſublime elatus, diſcit ab Angelo comprimendum eſſe terræmotum devotè proferendo Sacrum Tryſagion *Sanctus Deus, Sanctus*

For-

Fortis, Sanctus Immortalis miſerere nobis.

Inter has Imperii lachrymabiles vices, Romanæ dominationis jugum excutiunt Hiſpani, irrumpentibus
411 Gothis * Orientalibus, & Occidentalibus, quorum primi Oſtro-Gothi, alii Viſigothi ſunt dicti. Occuparunt poſteriores Hiſpaniam, quæ plura poſthac partita in Regna, Caſtiliæ videlicet, Aſturiæ, Leonis, Galitiæ, Aragoniæ, Navarræ, & Luſitaniæ, per plura ſæcula Mauros habuit infeſtos, quibus Moza Roderici Regis aulicus, & Patriæ proditor anno 721. viam ſtravit. Maurorum perfido ſub jugo ingemuit Hiſpania, donec ope Ferdinandi V. Catholici anno 1492. Regno integræ libertati reſtituto, tanti Regis virtus & pietas omnibus ſuis poſteris Catholicorum Regum titulum promæruit.

Eodem anno, quo Hiſpani, etiam Scoſſenſes à Romanorum dominio facti ſunt ſegreges, ubi Fergus novam erigens dominationem, regiam aſſumit coronam, quà poſtmodum inſignata fuit anno 1283. pientiſſima domus Stuarda; ſed ſub Ja-

Jacobo II. anno 1688. prævalente contrariâ factione coacta dimiſit, ſummo catholicæ Religionis detrimento; cujus diſciplina inter Regnorum ſubverſiones ſemper eſt enervata. Veritatem hanc proprio comprobaverat experimento ſuo ævo Innocentius I. Pontifex, quæ mala cum diutius ferre non valeret, mærore confectus, ſanctimoniâ clarus occubuit. S. Zozimus Grȩcus unanimi calculo * ſuffectus omnibus Paræ- 417
ciis benedictionem cerei Paſqualis, quæ ſolis Cathedralibus competebat, indulſit eſſe communem. Cæleſtio, & Pelagio Anathema dixit. Poſt brevem unius anni paucorumque menſium Pontificatum S. Bonifacium I.R. *habuit ſucceſſorem (Schiſ- 420
ma 4. Eulalii contra S. Bonifacium) pietate & doctrinâ inſignem, quâ ſingulariter enitebat tunc temporis S. Hieronymus anno 420. ſimilis factus in gloria Sanctorum; necnon S. Auguſtinus Tagaſtȩ in Numidia ortus, bis à S. Monicâ Matre, mundo doloribus, Deo lacrymis genitus, à D. Ambroſio jam ab anno 387. Eccleſiȩ acquiſitus, ingeniorum aquila di-

dictus, poſt abdicatum Manicheiſmum Canonicorum Regularium primò, mox Ordinis Auguſtiniani inſtitutor, cui regulam ſcripſit, eodem tempore quo S. Honoratus Arelatenſis Epiſcopus Lirinenſes Monachos collegit, qui poſtmodum S. Benedicti Regulam ſunt profeſſi. Sub regula S. Auguſtini Eccleſiæ Doctoris egregii plures militant congregationes regulares, nempe Canonici reformati per Arnolſum Jeroſolymæ inſtituti anno 1063. Congregatio Canonicorum S. Ruffi anno 1057. Ordo Præmonſtratenſium an. 1121. S. Norberto Parente. Eremitę S. Auguſtini anno 1276. Hieronymitæ in Hiſpaniâ anno 1396. Congregatio S. Salvatoris anno 1400. Congregatio Auguſtinianorum Lombardiæ anno 1444. Auguſtiniani Diſcalceati anno 1595. Omnes prefatæ Congregationes meritò gloriantur tantum Eccleſiæ Doctorem, cujus regulam profitentur, Legiſlatorem habuiſſe, qui regnante Conſtantio anno 314. natus, ætatis 76. ad Cælos tranſlatus, Honorii Imperatoris tempora eſt aſſecutus. Honorio imperante

perante Venetiarum fundamenta * 421
fæliciſſimè excitantur, & inexpugnabile contra Ottomannam protерviam erigitur propugnaculum, eadem recurrente die, ſcilicet 25. Martii, quà Deus mundum eduxit ex nihilo, & factus Homo pro mundi ſalute dignatus eſt pati: hæc fundationis epocha viſa eſt Reipublicæ incremento fęliciſſimum exhibere auſpicium. Septuaginta duo Inſulæ in mari adriatico penè unitæ, amplum urbis magnificæ conſtructioni ſpatium exhibuere, quæ in ſuis primordiis democraticum regimen eſt amplexata ſub Conſulibus, & Tribunis; mox ſub Ducibus fuit; Deinde anno 1177. iterum Democratia prævaluit uſque ad annum 1298. protracta, quo ariſtocraticum regimen fuit ſancitum, plenitudine poteſtatis devolùta ad nobiliores familias, quæ in libro aureo deſcribuntur, uno ex nobilioribus in Ducem ſelecto. Rem nimis in longum protraheret iteratos recenſere triumphos, quibus terra marique ſuam ampliavit ditionem, & Turcarum compreſſit audaciam, ſeque ab om-

ni ſubjectionis jugo, perpetua gaudens libertate, ſervavit immunem.

Honorius Ravennæ penè exul, extremo morbo correptus, prole deſtitutus, Conſtantem Ducem, Placidiæ ſorori deſponſatum, ſucceſſorem deſignans *ſuum claudit Imperium, nec paulò poſt Romæ ſuum aperit Pontificatum * S. Cæleſtinus I. R. ſub. quo Epheſina contrà Neſtorium coacta Synodus * in quà addita eſt ſalutationi angelicæ devota præcatio *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ*, Epheſino Concilio ducenti interfuere Præſules; unà cum Legatis Cæleſtini: zelus Pontificis àd varias orbis oras ſtatim dirigit Apoſtolicos viros, nempe in Angliam Germanum, in Scotiam Palladium, in Hirlandiam Patritium, eas regiones illuſtraturus fidei lumine, non modicum à VVandalorum irruptione obnubilato; VVandali ex Africa, ubi anno 427. recentioris Regni primordia excitaverant, ſub Generico primo Rege, mox ſub Hunnerico in Italiam irrumpentes, eamdem ſæpe devaſtarunt, donec con-

423

424

431

confligato Gilimero anno. 530. ultimo VVandalorum Rege per Belizarium, à Barbara infeſtatione Italia quievit, ad ultimum penè redacta exterminium. VVandalis expulſis Valentinianus III. occidentali revivifcit Imperio, jam propè declinanti ad occaſum, ob renaſcentem hac tempeſtate in Faramundo, à quo Lex Salica promulgata, glorioſam Gallorum dominationem, à ſuis primordiis Fidei addictiſſimam, cujus zelus ſtatim in Clodovęo à S. Remigio baptizato enituit, ſacrę unctionis ampullam mirabiliter columbà miniſtrante. Efferbuit in Chriſtianiſſimis Regibus religio, apud quos Præſules, & ipſi Romani Pontifices ſemper tutum invenere refugium in perſecutionibus, in anguſtiis ſuſcepere ſubſidium, in tribulationibus obtinuerunt ſolatium, ita ut Eccleſiæ defenſor à Stephano IV. Pipinus meritò fuerit nuncupatus, quo glorioſo titulo omnes Galliæ Reges poſtmodum fuerunt condecorati. Ex quo inclitum Galliæ Regum germen in Faramundo glorioſa novit initia, nempè ab anno 420.

uſque ad noſtram ætatem, in tripli. ci ſtirpe ſuam conſolidavit ſucceſſionem. Prima à Merovęo Faramundi conſanguineo uſque ad Carolum magnum fuit protracta. Secunda à Carolo magno uſque ad Hugonem Capetum, tertiam à Capeto uſque ad regnantem Ludovicum XV. floreſcentem gratulatur orbis univerſus.

Sejunctis à Romano Imperio Gallis, ſtatim viſa eſt deficere Romanorùm gloria ſub Valentiniano, quò imperante poſt Cæleſtinum I.
432 ſummo fungitur ſacerdotio * Sixtus III. à SS. Petro, & Apolinari per viſionem edoctus ut S. Petrum Gryſologum Ravennatenſem conſecraret Epiſcopum: nec ſine divino preſ-
440 ſagio Leo I. Tuſcus * dictus Leo Magnus, pontificiam ſublimatur ad Sedem, ſacrarum ſanctionum pro Eccleſiæ diſciplinà inſtauranda promulgator factus, cum Theodoſianus codex pro rectà legum Civilium normà ſervandà publico juri conceditur. Theodoſius Junior Arcadii Filius tutorem habuit Iſdigerdem Perſarum Regem, cujus probitas Arcadio fuerat perſpecta, Pulcheriam ſoro-

ſororem declaravit Auguſtam, & in regimine aſſociatam voluit, ejuſque ope, conſilio, & prudentia Theodoſius dignum ſe probavit Imperio: Clementiæ addictus tantum abeſt quod ſibi iniurios morti adjudicari permiſerit, ut potius ſe concupire revocare poſſe in vitam jam morte damnatos, dicere conſueverit. Juxta Concilii Epheſini mentem, cui (ſed deceptus) adhærere detrectaverat, at poſtmodum illuminatus acquievit, Neſtorio exilio mulctato, Theodoſii Senioris ſecutus exemplum, publicæ pęnitentię argumentis ſuam manifeſtavit reſcipiſcentiam.

Poſt obitum Theodoſii * Concilium Chalcedonenſe æcumenicum IV. contra Euthichem, & Dioſcorum pro duabus in Chriſto naturis adſtruendis concluditur: Ope Concilii pacatis Eccleſiæ diſſidiis ab Hæreticis excitatis, aliam Italiæ ſubverſionem deplorat Leo magnus ab Athila factam. Athila Schytha, & Paganus, Hunnorum Rex, primò Traciam invadens, in toto penè Oriente abominationem deſolationis commiſit; tributo ſubjiciens 457

Orientale Imperium; ad occidentales plagas diggreſſus, Pannoniam, Germaniam, Galliam, ſuæ fecit victimas feritatis, flagelli Dei ſibi nomine aſſumpto. Merovæus Gallorum, Theodoricus VViſigothorum Reges, Aetius Romani Dux exercitus confæderatis viribus, & junctis militaribus copiis, Athilam aggreſſi in campis ſecalaunicis bis centum millibus copioſum exercitum diſperſerunt; nihilominus Athila collectis reſiduis copiis Italiam invaſit, ſpirans ubique minarum, & cædis. Sed divina ope non ſine prodigio S. Leo barbarum Hunnum, ſicut & Genſericum VVandalorum Regem ab iterata Romanæ Urbis diruptione amovit; Athila ad venerandumS.Pontificis aſpectum intimo terrore concuſſus, ad propria reverſus,
452 prima nuptiarum nocte *diem clauſit extremam.Dum verò S.Pontifex iram Dei fuſis lacrymis ab Urbe Roma àvertere ſatagit, per impium facinus magis Deum irritat Valentinianus, Aetium innoxium morte condemnans, alterius Thori factus etiam violator impudicus; quapropter à

Si-

Sicario, in Campo Martio * inte- 455
mitur, cujus morte Imperatorum Occidentalium ſeries concluditur, qui enim ſequuntur per viginti annorum ſpatium uſque ad Romulum aliis placet Momylium Auguſtulum, potius intruſi, quàm Imperatores ſunt recenſendi. Primus inter intruſos tyrannicum uſurpavit dominium Maximus, qui ut injuriam à Valentiniano Uxori ſuæ illatam ulciſceretur poſt interemptum ope Sicarii Valentinianum, Eudoxiam ejus conſortem ſibi per vim in Matrimonium copulavit, titulumque Imperiale aſſumpſit. Sed non paulò poſt à Romanis indignè ferentibus perpetratum patricidium ſaxis impetitus, à tyrannico regimine excluditur, & ab Urbe expellitur, aliis ſucceſſivè tyrannis Imperium occupantibus, nempe Majoriano, Severo, Anthemio, Olibrio, Glycerio, & Julio, Auguſtili Anteceſſore. Adeo funeſtas Imperii calamitates per integrum diem rivus Toloſę ſanguineis undis
*eſt lachrymatus. Luget etiam incon- 461
ſolabilis Roma ſublatum ſibi ſuis in anguſtiis fortius ſolatium, per Ma-

gni Leonis deceſſum, cui merito non impar S. Hilarius natione Sardus, per quem confirmatur condemnatio Neſtorii: emenſo Pontificatus quin-
467 quennio regimini ceſſit * & fatis.

Regendam Petri naviculam aſſumit Simplicius Tiburtinus. Divini Zelator decoris S. Pontifex, beneficiorum redditibus quadripartitis, portionem unam beneficiati alimoniæ, aliam Eccleſiæ manutentioni, tertiam ſubſidio Pauperum, quartam Eccleſiaſticis indigenis aſſignavit. Moderna penſionum exuberantia hujus ſacri Canonis obſervantiam non patitur, pauciores utique eſſent indigenæ, ſi tenuiores forent penſiones, & pinguium beneficiorum redditus non omnes uni, ſed moderatè inter plures dividerentur.

475 Simplicio Pontifice Odoacres Herulus Italiæ Regis titulo * cum re potitus, Romulum Auguſtulum prætenſum Imperatorem profligat, & Romę principatur eodem anno, quo Genſericus VVandalorum Rex morte correptus Principatum deponit, cum ſuæ crudelitatis veſtigia ubique reliquiſſet, quam primò experta eſt

Afri-

Africa, ubi Genſericus Religione Arianus, Catholicorum ſubverſis Eccleſiis, pręcipuè Carthagine depopulavit ſacras divitias: mox Siciliam invadens, ad ultimam penè redegit deſolationem; deinde Valentiniano III. extincto Romam apulit, quam dierum quatuordecim ſpatio, exercitus ſui militari furori reliquit. Italiæ, Dalmatiæ Epiro, Sardiniæ non pepercit: nec tantum in Occidente, ſed etiam in Oriente ſuam feritatem exercens, ubique Orthodoxis infenſus, non tàm contra homines quàm contrà Deum bellum gerere videbatur, factus quo ad 476
vixit *implacabilis Eccleſiæ Perſecutor.

Odoacre in Italia Regnante Fælix II. R. * decreto ſancivit, ut ſoli 483
Epiſcopi Eccleſias conſecrarent. S. Gelaſius Afer* Manichęis in Urbe debacchantibus compreſſis Theodoricum Regem Oſtrogothum Urbis invaſorem, & Odoacres interfectorem conſpexit. Dum Roma tragicum Odoacres caſum miratur. Biſantium horret Ariadnæ inhumanum facinus, Zenonem ſuum Conſortem vino abſorptum vivum humari præcipientis, ut 492

Anaſtaſium Amaſium ſuum Arianorum fautorem ad Imperium extolleret. Statim à Vitaliano Comite Urbs Imperialis reſidentiæ obſidetur, ſolius Procli Fælici ingenio liberata, qui navalem Vitaliani obſidentis claſſem (quemadmodum Romanis Siracuſas obſidentibus contingerat) chriſtallorum artificio * ſuccendit: inſigne utique humanæ artis inventum, ſed ſimul, & ſemel fragilitatis humanæ irrefragabile teſtimonium, quandoquidem fragili vitro robuſtiores vires ad nihilum rediguntur. Gerebat circa hæc tempora bellum contra Germanos Clodovęus, qui invocato Uxoris ſuæ numine, glorioſum de inimicis reportavit triumphum, & ſtatim abdicatà gentilitate Catholicam Fidem eſt amplexatus, *Eccleſiæ Filius primogenitus* dictus, quo ſpectabili inter omnes titulo ejus Succeſſores Chriſtianiſſimi Galliæ Reges pluſquam Regno gloriantur.

C A P U T VIII.

NOnniſi tragicos tam in Oriente quam in Occidente caſus exhibent calamitoſa hæc tempora, quandoquidem Regnorum jura, in Oriente proditiones, in Occidente arma, & vires ſibi vindicant, quibus titulis, Zenone annuente, Theodoricus Oſtrogothorum Rex Italiam ſibi vindicaturus, contra Odoacrem arma ſuſceperat, ubi per annos 33., ſcilicet uſque ad Fælicis III. Pontificatum principavit. Itaque Theodorici temporibus Pontificatum geſſerunt Anaſtaſius II. R.* Vix electus ad Anaſta- 496
ſium Imperatorem per legatos ſuos humaniſſimas dedit Epiſtolas, ut ab Hæreſi reduceret. Ejus Succeſſor Simmacus Sardus* (*Schiſma V. Laurentii* 498
contra Simmacum) pauperum Pater de Eccleſiæ theſauris diſponit, & beneficia inſtituit, cum antea Clerici ſtipem acciperent. Copioſa Tiberis inundatio, & atrox Lues in hoc Pontificatu* Urbem invaſit, in quà plu- 510
res ſternuendo agebant animam, ex quo uſus inductus Deum invocandi

in auxilium, cum quis ſternuentem animadvertit. Admirata eſt etiam Italia propè hæc tempora cum ſanguinis effuſione flammeos de cælo exercitus invicem prælia committentes: nec non Alexandriæ plurimi utriuſque ſexus à Dæmone obſeſſi canum inſtar latrabant.

514 Poſt Simmacum Hormiſdas R *gerit Pontificatum, reviviſcentis Euthichianorum hæreſis in Oriente com-
518 preſſor, ubi Anaſtaſius Imperator * fulmine percutitur. Hormiſdam ſe-
523 quitur * Joannes I. Tuſcus Ravennæ pro Fide Orthodoxa carceri mancipatus, & anguſtiis conſumptus. Joanne Martyribus aſſociato, Fælix III.
526 Beneventanus * eligitur: hujus Pontificatus initio Theodorici Regnum exitum habet. Theodoricus pro Zenone in Oriente contra Baſiliſcum militans, equeſtri ſtatuâ in ſuorum Triumphorum memoriam ab Imperatore Conſtantinopoli condecoratus, nec non adoptatus in Filium, ad Italiæ Regnum ſibi acquirendum dimiſſus, Odoacre ſuperato, Clodovęi ſororem in uxorem duxerat; quamvis tamen Ariana hæreſi eſſet infectus, nemi-

minem ad ejuſdem Profeſſionem coegit; quinimo Aulicum ſuum ſibi benè acceptum, qui ut Regi rem gratam faceret (ſicut Infæliciter opinabatur) à Religione Catholica ad Arianam deflexerat, capitis obtruncatione damnavit, aſſerens Fidem ſervare nequaquam poſſe Regi, qui neſcit ſervare Deo. Dignum utique conſilium pro fælici regimine, in cujuſque Principis animo inſerendum, ne ſcilicet ullatenus ſe aulicis fidant, quos Deo Fideles non noverint. Hic fuit Theodorici ſenſus, cujus prudentiam Caſſiodorus Regis à Secretis ſummis Laudibus commendat: utique commendabile foret Theodorici Regimen, niſi extremis Regni ſui annis ſuſcipionibus, quæ facilè in ſenibus vigent præventus, crudelem ſe exhibuiſſet contrà Simmacum Romæ Conſulem, & Præfectum, probitate, & ſcentia nemini inter Senatores ſecundum, capite obtruncatum; nec non contra Boetium pari morte damnatum, inſignem de Conſolatione Philoſophiæ Scriptorem, qui tranſlatis ex Græco in Latinum Ariſtotelis ſcriptis, in Occidente Ariſtotelicam

doctrinam ferè adhuc ignotam promulgavit, Machinalium Horrologiorum in Turri Ticinenſi, ubi captivus detinebatur mirabilis factus inventor. Ab hujus ſæculi initio uſque ad hæc tempora, Taraſmondi furorem experti ſunt in Africa Sacri Antiſtites, quorum plures poſt reſecatam à Vandalis linguam, diſertè adhuc loquebantur, aperiente Deo mutis os ſuum.

Italico Regno inauguratur Attalaricus, Orientali verò Imperio poſt
527 Juſtini deceſſum * Juſtinianus defuncti Cæſaris ex ſorore nepos. Iuſtinum Patre opilione ortum, ſola virtus ex imo fortunæ ad culmen evexerat, in qua adeo laudabiliter, tantàque moderatione ſe geſſit, ut ſive à Prudentià, ſive à Juſtitià, ſive à Religionis Orthodoxæ zelo, à pietate, & liberalitate hominibus regendis factum, & à Deo datum unanimis Hiſtoricum ſit ſenſus. Etiam ex Paſtoribus naſcuntur nobiles animi capaces ad Regnum, ſicut ſæpe contingit Regum Filios conſpicere adeo moribus depravatos, ut ipſis longè melius pro ſceptro paſtoralis virga potuiſſet

apta-

aptari. Etiàm in antris nobiles formantur animi, ſicut in aulis geniti ſæpe viles ſenſus concipiunt; adeo pręſtat hominem ſive in antris, ſive in aulis natum bonis imbuere moribus, compoſita enim educatio, non nativitas nobilem animum efformat. Senſuum nobilitate Juſtino non impar Juſtinianus, qui omnes Leges pro recta juſtitiæ adminiſtratione in Codice Juſtiniano collectas exhibuit, in pace inſignis, ęquè ac in bello, tàm in litteris, quàm in armis, in utroque Cæſar; poſt publicatas inſtitutiones, & digeſtum * præliari aggreditur, & 529
Belliſario Duce contra VVandalorum Regem reportatà victorià, Charthagine potitur; deinde Siciliam ſuæ ſubdit dominationi, poſtmodum Neapoli, & Romæ triumphans propè Ravennam Vittigem Gothorum Regem debellat: In Perſia Cofroem domat, & iterum in Italia Totilam Romam obſidentem profligat.

Sed ut altius quæ ſub Juſtiniano, nemini inter magnos Cæſares ſecundo geſta ſunt repetamus, ad quadrageſimum propè annum Imperium ſuum protraxit. Initio hujus Imperii dive-

divexata erat Schiſmate Eccleſia ob
530 Electionem Bonifacii II. * à Dioſcoro
conteſtatam Poſt biennium Bonifacio è vivis erepto, Cathedram con-
432 ſcendit Joannes II. R. * ſimiliter per
biennium ſummum agens Sacerdotium, Regnante tunc in Italia Theodato, propriæ ſororis Amalaſontæ interfectore, cujus criminis horrore pertæſus Juſtinianus, Amalaſontæ ultionem contra Theodatum ſibi vindicaverat. Cæſarem, & Regem reconciliaturus S. Agapytus paucos poſt ſuæ aſſumptionis ad Pontificatum meſes, Conſtantinopolim profi-
536 ſcitur * ubi Hominem exuit.

Eodem anno Vittiges Gothus 150 mille hominibus ſtipatus, Italiam invadens, Thæodatum interimit, & Romam longà duràque obſidione divexat:tunc renovata Crudelitas,quam ſub Tito Jeruſalem aggreſſore exercuere Mulieres ſuorum Filiorum devoratrices, ne fame perirent. Viriliter nibilominus propugnata eſt Roma à Beliſario ſub obedientià Juſtiniani, donec Vittige cum exercitu profligato, Ravennæ unà cum uxore captivo facto, eundem inter vincula

Be-

Belliſarius remiſit ad Cæſarem,glorioſus utique apud Poſteros futurus, niſi ſui nominis famam obnubulillet * S. 538
Silverii (Schiſma 7. Vigilii contra Silverium, quo defuncto Vigilius legitimè ſedit) exilio in inſula Palmariâ, ubi potius mori maluit, quàm Anthymium hæreticum Conſtantinopolitanæ ſedi, inſtante Theodorâ Auguſtâ præficere, cujus muliebrem furorem eàdem de causâ experitur Vigilius * poſt Sylverium per novam ele- 539
ctionem canonicam,legitimum agens Pontificem, dum quatuor Reges Oſtrogothi Theobaldus, Alaricus, Totila, & Teyas Italicum Regnum uſurpant.

Regnante Totila * vivebat ſancti- 541
tatis gloriâ, prophetiæ famâ ubique terrarum illuſtris in Monte Caſſino S. Benedictus, ad quem Totila proficiſcitur * proprio inveſtigaturus experimento, an de Sancto Benedicto mirabilia operante vera eſſent, quæ fama vulgabat. Hujus glorioſiſſimi Monachorum in occidente Patriarchæ meritum eſſe ſupra famam compertum habuit Totila, & quaſi Angelos in carne homines vivere eſt admiratus
ſub

ſub ſancti Viri Inſtituto, & regulà, quæ tot Sanctos cœlo peperit,ut tempore Conſtantienſis concilii 55460. Monachi Sanctorum faſtis adſcripti numerari potuerint, in diverſis Congregationibus ſub Regulà S. Benedicti militantibus, Sanctimoniæ Laudem conſecuti; Conſpicuæ inter has congregationes recenſentur Congregatio Vallis Umbroſæ per S. Joannem Gualbertum anno 1060. Grandimontenſis anno 1076., Montis Virginis per Sanctum Guillelmum Vercellenſem anno 1124. Gilbertinorum anno 1148. Eremitarum S. Guillelmi anno 1152. Vallis Caulium 1212. Montis Oliveti per S. Bernardum Ptolomæum anno 1313. Congregatio S. Juſtinæ, dicta etiam Caſſinenſium anno 1407., quia refloreſcenti S. Juſtinæ congregationi adhæſerunt Caſſinenſes, ut primævi Sancti Benedicti inſtituti illic Spiritus reviviſceret, ubi Sanctiſſimus Patriarcha anno 543. ultimum egerat Spiritum Propheticum, quo Totilæ prædixerat maris tranſmiſſionem, & poſt novem annos mortem.

Hoc impleto Vaticinio Tejas Gothus

thus * abſente Belliſario, Rex Italiæ 552
proclamatur; pluribuſque civitatibus
ſubjugatis, per dies quadraginta
Romam Gothicæ militiæ furori re-
linquit. Vix anni unius ſpatium com-
plevit Tejas tyrannicum regnum;
ſiquidem per Narſethem cæſarei exer-
citus ducem expulſis ab Italia Gothis
Oſtrogothorum regnum extinguitur,
ſucceſſoribus Longobardis, quorum
ingentibus copiis ſub Alboino duce
in Italià aditum reſeravit Narſetes
Eunuchus, injuriam ſibi à Sophià
auguſtà illatam vindicaturus, cum
Vigilius ut Sedi Pontificiæ debitam
vindicaret auctoritatem, Concilium
Conſtantinopolitanum II. * congre- 553
gat, in quo celebris de tribus Capi-
tulis pontificià auctoritate decidere-
tur quæſtio, & erronea damnaretur
repullulans Origenis doctrina, cui Sa-
cerdotali Conſtantià etiam S. Pela-
gius * poſt Vigilium Anathema dixit. 555
Ab hoc Pontifice privata Canonica-
rum horarum recitatio abſentibus à
Choro fuit indicta; & à ſucceſſore
Joanne III. R. * confirmata. Joanne 559
Pontificatum gerente Barbari Longo-
bardi, à longa barba dicti, ex Scan-
dina-

dinavià, Danimarca, & Norvegia in Italiam irrumpentes, in Gallia ciſalpinà, Lombardia poſtmodum nuncupata, novam erigunt dominationem, in qua ſericum opus ex bombicum ovis conficiendi ratio per Mo-
560 nachos ex Indià appulſos * primo Europęis innotuit, ad Gallos deinde translata, ubi quatuor Clodovęi filii regno quadripartito principabantur: Theodoricus Mętis, Clodomirus Aureliæ, Childebertus Pariſiis, Clotarius Sueſſione; ſed cum regni diviſio diſſenſionum ſemen evaderet, in Clotario II. circa annum 630. conſolidata fuit Gallorum dominatio, & poſt hàc Regni diviſioni additus fuit excluſus.

Licet Senio confectus adhuc erat
561 ſuperſtes hoc anno * Belliſarius, qui de intentata contra Juſtinianum Cæſarem conſpiratione cauſatus, ſtatim ab omni dignitate depoſitus, effoſſis ex Judicum ſententià oculis, in turri juxta mare propè Conſtantinopolim conniectus, clamabat prætereuntibus advenis, *Date obolum Beliſario, cui Invidia, non crimen oculos effodit*. Aulicis quos fortuna altius evexit relinquens

quens exemplum timoris, ne in profundum proiiciat Calamitatum.

Dum per ſuprà recenſitam Longobardorum invaſionem anguſtiatur Religio in Italia, dilatantur indiſſitis regionibus ſpatia fidei * ad quam convertuntur Armeni, & pro ejuſdem fidei Confeſſione Hermenegildus Hiſpaniæ Rex ſub Leovigildo Ariano, Patre ſimul, & tyranno *Cordube dato capite martyrium ſubiit. Ex Regis ſimul, & Martyris effuſo ſanguine, quaſi ex fœcundo ſemine viſa eſt floreſcere in Hiſpania Religio Catholica, inter calamitoſas Italiæ vices, à continuis bellis, urbium obſidionibus, barbarorum irruptionibus concuſſa, & ab ipſis Exarchis Ravennatenſibus, qui potius Italiæ deprædatores, quam defenſores ſe exhibebant, quorum primus fuit Longinus * & poſtremus Euthichius anno 752. ab Aſtulfo Longobardorum Rege expulſus. Ab Exarchis itaque, pro Imperatore Conſtantinopoli reſidente, ſupremam in Italia dominationem exercentibus, & à Longobardorum Regibus miſerè laceratur Italia, ubi Ticinum * ab Alboino Rege Longobardo duram

567 568 571

patitur per triennium obſidionem, fruſtra obſiſtente per Exarchum ſuum Longinum Juſtiniano, quæ mala per-
572 teſus Benedictus Pontifex R. * poſt quartum ſui Pontificatus annum mæ-
577 rore conſumptus * ad indefectibilia gaudia commigrat, & Pelagius II. R. ſummæ dignitatis Sacerdotalis faſtigium conſcendit.

Jam plures tunc temporis ex Longobardorum primatibus, diverſis in Italiæ Urbibus, principatus ſibi jura arrogaverant, inter quos Taurinorum Auguſtæ Agilulfus ab uxore Theodelinda ad Catholicam Religionem converſus, Paulus in Sacro Fonte nuncupatus. Dedit ſtatim humaniſſimas Litteras Gregorius ex ordi-
590 ne S. Benedicti * Primus Pontifex renunciatus ad Theodelindam, de Religione Catholica adeo benemeritam, cujus Filius Adelvaldus etiam in Sacro Fonte purgatur. Catholicæ Fidei, cui adherere incipiunt Longobardi incremento, contribuit Anglia, per Monachos ſui Ordinis à S. Gregorio ad Britanniæ oras Legatos, ad Chriſtum converſa. Tanti Pontificis ſolicitudinem paſtoralem nulla pars Orbis

bis præteriit; ubi Hæreticos convertit, ubi Schiſmaticos ad viam unitatis reduxit, ubi Simoniacos compreſſit, ubi ſuis præcibus iram Dei avertere ſatagit; ejuſque præcum efficaciam experta eſt Roma, quam cum devaſtaret Immanis peſtis, S. Gregorius per Urbem, Virginis Mariæ à S. Luca depictæ Imaginem deferens, ſuper Adriani molem Angelum remittentem gladium in vaginà conſpexit, ſtatimque peſtilentialis morbus evanuit. In tanti beneficii, & Angelicæ apparitionis memoriam Moles Adriani Caſtri S. Angeli nomen aſſumpſit. Per S. Gregorium aſperſio in capite *Sacrorum cinerum* quadrageſimæ initio fuit indicta, & tempora, atque Templa Sacris Stationibus aſſignata. Mauritium etiam Imperatorem Orientis, ad legem retractandam, quà Milites cucullum Monaſticum induere prohibebat induxit. Princeps utique Religionis zelo, ac pietate ſpectabilis, quem proinde multis probatum tribulationibus Deus voluit, cujus judicia abyſſus multa. Phocas ex ſimplici Centurione uſurpat Imperium, Mauritium fugat, quem

quem propè Chalcedoniam, unà cum quatuor Filiis captivum factum, trucidari jubet immanis Tyrannus; Inter mortis anguſtias in hanc tantum vocem Mauritii lingua ſolvebatur. *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Dederat Phocas Epiſtolas ad Gregorium, ſtatim ac ſuum inierat Imperium Tyrannicum, ut ejuſdem ſibi benevolentiam captaret; tanta erat hujus Magni Pontificis in toto Orbe fama Sanctitatis, ut etiam Tyranni ejuſdem ſe venerabundos exhiberent. Diſcant Eccleſiaſtici Sanctitatem, non faſtigium Sacerdotio conciliare Regum venerationem. Ex quo Eccleſiaſticorum adauctus eſt cum facultatibus luxus, fumigarunt cum montibus tituli, à proceribus ſæculi ergà Eccleſiaſticos debitum obſequium ſemper paſſum eſt detrimentum. Sed antequam Epiſtolæ à Phoca ad Gregorium datæ Romam pervenirent, magno totius Orbis Chatholici luctu Magnus Pontifex mortalem ſarcinam deponit.

Digniſſimo Pontifici Sabinianus
604 * ob ſuam avaritiam ſummo impar Sacerdotio ſuccedit, in hoc tamen com-

commendabilis, quod primus horas diei tintinnabuli ſonitu diſtinxit, & Campanarum uſum in Eccleſia introduxit. Sabinianum, Pontificatui gerendo ineptum, poſt biennium providentia eripuit, & meliorem ſuffecit Bonifacium III. R. * jam pridem 606
Gregorii ad Phocam Apocryſarium. Huic ſubſtitutus Bonnifacius IV. * cui 607
Phocas Pantheon conceſſit. Panthea nomen erat Simulacro, in quo per diverſa Jeroglifica, plures exhibentia divinitates, omnes Deos in unum collectos venerabatur Gentilitas, ex quo Pantheon dictum fuit Templum ab Agrippa annis 25. ante æram vulgarem extructum, ex Deorum delubro factum celebre Urbis Sanctuarium, Deo in honorem V. M., & omnium Sanctorum à Bonifacio IV. conſecratum, cum plura Sanctuaria Choſroas II. Perſarum Rex fædè profanabat. Bonifacio IV. poſt ſeptennium è vivis erepto, Deus dedit ſanctitate inſignis, miraculorum gloria celebris *cathedram conſcendit. Poſt- 614
modum Urbs Neapolis olim dicta Parthenope, ab omnibus celebrata hiſtoricis, dulcedine climatis, populi
H fre-

frequentiâ, telluris fertilitate, & quantitate nobilium Eccleſiarum tenens inter omnes Italiæ urbes primatum, primum gratulatur ſuum concivem
617 Bonifacium V. * in Eccleſia Chriſti
626 Vicarium. Mox Honorium I. * ex Campania oriundum, quem nullatenus adhæſiſſè monothelitarum ſententiæ evincunt rationes validiſſimæ, quidquid in contrarium aſſerere velint hæretici. Monothelitarum hæreſis ſub Sergio Conſtantinopolitano potiſſimum orientalem agitabat Eccleſiam, ad cujus exterminium Mahometes ſua publicaverat figmenta, quæ in Alcorano exhibentur.

Arabia hoc genuerat Monſtrum
632 anno 571. ætatis annorum 61. * miſerè extinctum, reviviſcens in Abuldechero primo Alcorani compilatore, & poſt Mahometem Califa [Califa idem ſignificat ac Legitimus ſucceſſor] cujus potentiæ, propè Ara-
633 biam * Heraclii militares copiæ ſuccumbunt. Abuldechero poſt biennale imperium defuncto regnat Omarus, qui univerſam Paleſtinam Mahometicæ ſubdit tyrannidi. Has calamitates ſignum de cælo inſtar gladii

præ-

prædixerat, ſicque ab Infidelibus Saracenis, & ab hæreticis Monothelitis duplici gladio jugulatur Orientalis Eccleſia, quibus reparandis damnis indefeſſi laborant ſummi Pontifices, præcipuè ut Monotheliſmum evellant, iteratis anathematibus Monothelitas confodiunt, unam tantum in Chriſto operationem. & voluntatem admittentes.

Inter Pontifices Monotheliſmi proſcriptores recenſentur Severinus R. * liberalitate, & clementia cele- *639*
bris. Joannes IV. Dalmata * qui pri- *640*
mus plumbo diplomata obſignavit Pontificia: ab eodem Eccleſiæ Theſauri in redimendis captivis proffuſi, dum Heraclius, pro redimendo Crucis vexillo, Choſroem Perſarum Regem perſequitur, & per inſignem victoriam Crucem Dominicam ab Infidelibus vindicat, quam ſacco indutus, ſuos ſuper humeros ad priſtinum Calvarię locum humiliter deferens, in hac humilis triumphi gloria, omnes ab Imperatorum magnificentià excogitatos triumphorum luxus ſuperavit.

Præfatis Pontificibus Monothe-

 liſmi

liſmi Impugnatoribus adſtipulantur
642 Theodorus Jeroſolymitanus * imperterritâ, & ſummo digna Sacerdote conſtantiâ Pyrum Patriarcham Conſtantinopolitanum exauthorans
649 S. Martinus Tudertus * iterum Monothelitas confodiens, ut hęreſis Zizaniam ab agro evellat catholico, quam per dilatatum ope ſua arianiſmum, ſucreſcentem in Italia vo-
654 luit * Rhotarius Rex Longobardorum Liguriæ invaſor, morte præventus eodem anno, quo ſanctus Martinus Pontifex in æternum victurus exul moritur in inſula Cher-
655 ſonenſi, ſucceſſore Eugenio I. * ab Exharcho Caliopâ primum intruſo, ſed poſt Martini deceſſum canonicè electo. Poſt Eugenium ſummo fun-
656 gitur ſacerdotio Vitalianus * à quo Eccleſiæ cantus meliorem in formam redigitur. Organa, & inſtrumenta muſicalia primùm in Eccleſia adhibentur, ad concinnendas Dei laudes, & gloriam ampliandam quæ
657 in Sinarum regno dilatatur, * vero Deo ab Imperatore Cao-cum ædificatis templis, & Chriſtianâ Religione per Evangelicos Operarios ibidem

dem propagatà, dum ejuſdem incrementis obſtitit in Oriente * Conſtans II. Monothelitarum fautor, tandem Syracuſis in balneo Deo vindice vità functus, & Regno, cum in æternum regnaturi plures Reges circà hæc tempora ſceptrum abdicant, inter quos commendatur Bamba Hiſpaniæ Rex, poſt plures partas victorias, Monaſticam vitam amplexatus: Fiacrius Scotorum Regis Filius Anachoreta in Gallià. Joſæus Britonum Rex Anacoreta in agro Pontium. Sigebertus Auſtraſiæ Rex, duodecim Monaſteriis extructis, monaſticæ profeſſioni addictus. Auſtraſia verò antiquiſſimum Regnum ultrà modernam Lotharingiam, in plures adhuc circumſtantes Provincias diffundebatur. Primus Auſtraſiæ Rex fuit Thierrus Magni Clodovæi filius anno 548. fatis cædens, & regno, ultimus verò Dagobertus, ſub quo Auſtraſia, paulo poſt medium hujus ſæculi Galliæ Regibus paruit. 658

Scinditur hoc anno * inter duos fratres Longobardorum Regnum, iterum in Grimoaldo * diſſidentium Fratrum triumphatore in unum reda- 659 664

dactum. Grimoaldus ſub Adeodato
669 Pontifice * abdicato Arianiſmo, unito Regno, ad Eccleſiæ reddit unitatem, ſicut etiam Monarchiâ Gallicâ, quæ hactenùs in plura regna fuerat ſæpe diviſa, in uno Rege Childe-
670 rico * conſolidatur; ſed à pietate quę unicum eſt Regum ſubſidium deflectens Childericus, regni Proceribus factus exoſus, unà cum uxore, & filiis interimitur. Secùs ſe geſſit Grimoaldus, qui ut diutius ſibi regnum, & ſe regno ſervaret, pietati addictus, zelo catholicæ Religionis conſervandæ commendabilis enituit, unà cum uxore Roſelinda matre pauperum, quorum Pater Ro-
676 mæ commendatur * Domnus R. Ravennatenſes ad Eccleſiæ redigens unitatem, quam duas in Chriſto naturas, & voluntates profiteri decla-
678 rat * Agatho Siculus in Concilio ge-
681 nerali Conſtantinopolitano III. * ubi interfuere 289. Epiſcopi pietate, doctrinaque celebres, quâ enituit, & hęc tempora illuſtravit Beda, à teneris annis in Angliâ inter Monachos enutritus, toti orbi adhuc vivens venerabilis.

Secun-

Secundo Pontificatus Agathonis anno dira Lues Italiam, & Romam præcipuè deformabat, hàc ſæviente cacodæmones Urbem cum aſta viſibiliter circumobientes, aſtæ cuſpide pulſabant ad januas, & poſtero die mortuorum numerus aſtę ictus æquabat. Ad implorandam hiſce in calamitatibus divinam opem inſtitutæ rogationes, quas contra terremotum anno 474. Viennam in Galliis acriter concutientem S. Mamertus Epiſcopus in opportunum remedium adhibuerat; hinc ex decreto Concilii Aurelianenſis, anno 511. rogationum devotio per totam Galliam propagata: mox jubente Agathone ab univerſa Eccleſia acceptatur, quę jam Litanias maiores, Inſtitutore S. Gregorio Magno, die 25. Aprilis frequentabat.

Inter Pontifices ſanctimoniâ celebres commendantur, Leo II. Siculus* Agathonis ſucceſſor, non modò 683
pietate, ſed etiam diverſarum linguarum intelligentia diſtinctus; Benedictus II. R. in ſacris* ſcripturis 684
eruditus apud Conſtantinum Pogonatum in multa veneratione acce-

ptus, cui pariter perſpecta fuit pru-
685 dentia, & pietas Joannis V. * Syriaci ſub Agathone ad Concilium generale VI. Apocryſarii, mox ad Sedem Pontificiam ſublimati, quam continuo ferè morbo gravatus poſt annum, unà cum vita dimiſit. Primus inter Pontifices, qui *ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem* in Bullis legitur pręmiſiſſe. Poſt Joannem ſum-
686 mus inaugurator Sacerdos * Cononus ex Tracià oriundus, per paucos menſes magno functus Sacerdotio. Clauſit ſeptimum ſeculum Pontifica-
687 tus S. Sergii Siculi * (ſchiſma Theodori, & Paſchalis contra Sergium) in Miſſæ ſacrificio Agnus Dei ante communionem ter concinnnendum decrevit. Venerabili Beda Anglia Romam evocato, ejuſdem ſtuduit deferre conſiliis. Cadente hoc ſæculo Veneti primum Ducem ſalutant Paulutium Anapheſtum. Et Cracus celebrem Urbem à ſuo nomine in Polonià Cracoviam excitat, cui Praga fuit coęva, nec non contemporanea Pampilona.
701 Joanne VI. Græco ineunte * Pontificatum cum ſæculo Aribertus, Ragom-

gomberti Taurini regnantis filius, * 704
alpes Cothias â prædeceſſoribus ſuis
uſurpatas, S. Sedi reſtitutas voluit,
quarum donationem poſt brevem
Pontificatum * Joannis VII. Græci, 705
& effimerum viginti dierum Syriaci
ex Syria oriundi, atque ſexennale
Conſtantini pariter Syriaci, jam Gregorio II. R. * univerſalis Eccleſiæ Pa- 714
ſtore confirmat Luitprandus, per
quem Sancti Auguſtini corpus à Saracinis redimitur. Hoc theſauro ſummà cum pietate Ticini depoſito,
Romam proficiſcitur, propter excitatas cum Romano Pontifice diſſenſiones obſidere paratus; ſed mutato conſilio, rebuſque compoſitis,
Caroli Martelli mediatione interpoſità, Ticinum Mediolano vetuſtate
non impar revertitur, junctiſque cum
Carolo Martello contra Saracinos
militaribus copiis, propè Turonem
* profligantur; ad Saracinorum re- 732
primendam audaciam, & ad excitandos contra Catholici nominis hoſtes, ſuorum civium animos, Reſpublica Veneta * ordinem inſtituit eque- 737
ſtrem ſtolæ aureæ, nec non ordinem
S. Marci, quorum inſigniis conde-

 cora-

corare conſuevit viriliter contra Turcas dimicantes.

Luitprandus partâ contra Saracinos victoriâ Italiam regreſſus, poſt 31. regni annum Regiam Clamydem cum vitâ exuit, jam abſolutis à
741 Gregorio III. Syriaco * decem Pontificatus annis. Gregorius murum inexpugnabilem contra Iconoclaſtas ſub Leone Iſauro Conſtantinopoli debachantes ſe exhibuit, cujus muri per annum à terremotu concutiuntur. Poſt Gregorium Zacharias Græcus Tiara ornatur, & Galliæ ſolium Pipinus conſcendit, Childerico III. regendis populis impare à regimine abſoluto, juxta Zachariæ Pontificis conſilium, cujus etiam hortatu Ra-
744 chis Rex Longobardorum * diadema deponit, ut Monachum induat, in Cilicio victurus, & cinere occidentalibus in plagis, cum pluvia cine-
745 ris hactenùs inviſa in Oriente * apparuit.

Tantæ docilitatis exemplo, quam exhibuit Rachis, haud quaquam inhæſit Aſtulphus: Româ obſeſſâ ignem minitatur, & cædes. Contra Aſtulphum Pontifex Pipini Francorum

tum Regis opem implorat, factuſque in Galliam profugus à Pipino benignè acceptus, Italiam unà cum Rege revertitur, Aſtulphum Ticini refugum obſidet, & damna S. Sedi illata reſarcire coegit, paulò poſt, Aſtulpho ex ictu fulminis occumbente, regnat * Deſiderius, Imperium 756
Orientale gerente Conſtantino Copronimo, cujus impietas contra ſacras Imagines, & earundem cultores ad exceſſum pervenit: Ad Pipinum Regem Conſtantinus organa non ante in Galliis viſa dono tranſmiſit.

Deſiderio ad Italicum Regnum aſſumpto, Paulus I. R. * inaugura- 757
tur Pontifex (ſchiſma Theophilacti, & Pauli, ex obitu Stephani Tertii) in cujus ſeptimo Pontificatus anno* 764
tanta fuit hyemis ſævities ut pontus Euxinus gelu coaleſceret, & à Danubio uſque ad Euphratem per circonſtantes regiones ad caſtella, & urbes ſuper obduratam glaciem facilis pateret acceſſus. Paulò ſubrogatur * Stephanus IV. (ſchiſma Con- 768
ſtantini II. vacante Sede ex obitu Pauli) Siculus, ſub quo in Concilio

769 Romano emanatum decretum * nequis poſt hac in Pontificem eligeretur, niſi ex Cardinalium Collegio.
772 Stephanum ſequitur * Hadrianus I. R., neque minus ſibi infenſum Deſiderium probavit, quàm Stephanus Aſtulphum ſenſerit. Sed Carolum Magnum ſtatim defenſorem accepit, factus enim Carolus malorum ultor, quę Deſiderius contra Romanam Sedem perpetraverat, eumdem Ti-
776 cini obſtringit, & captivum * unà cum Uxore in Gallias tranſmittit. Cujus captivitate Longobardorum Regnum poſt ducenteſimum à fundatione annum extinguitur. Reſtituta Italiæ tranquilitate Carolus Romam Religionis ergo cum filiis progreditur, ubi Ludovicus in Aquitaniæ, & Pipinus in Lombardiæ Reges ab Hadriano circa feſta Paſcha-
781 lia * ſacrantur. Pipinus pontificiæ dignitatis venerabundus, primus equi pontificii frenum tenens, plures habuit Reges in hoc pio famulatu imitatores. Pipino adnitente Romanam Liturgiam Gallicana Eccleſia eſt amplexata,

Francorum Regum erga S. Sedem

dem devotio, & liberalitas vix dignis celebrari poteſt encomiis, Pipini enim devotionis, & liberalitatis effectus fuit Exarchatus Ravennæ, & Pentapolis Romanæ Sedi temporalis ſubmiſſio. Liberalem hanc donationem cumulavit poſtmodum Pipini filius Carolus Magnus, adjectis Corſica, Sicilia, Sardinia Benevento, Spoletino Ducatu, & Hetruria: circa quæ tempora Flandria adhuc inculta in comitatum erigitur. Copioſam accepit Pipinus à ſupremo Domino ſuæ devotæ munificentiæ erga S. Petrum remunerationem, feliciter contrà Saxones, Aquitanos, & Longobardos arma geſtiens, cum Gallorum militarem virtutem timere jam didiciſſent Saracini, quorum 200000. Carolo Martello Caroli Magni avo præliante occubuerant. Mirabilia verò, quæ Orlandus, vulgò ab Italis Rolandus dictus geſſit in præliis ſub Carolo Magno, eique ſanguinis neceſſitudine addictus, fama vulgavit in commune adagium. Certum eſt ab Aquitanis in montibus pirenæis ex Hiſpania Rolandum victorem redeuntem

tem fuiſſe proditoriè interemptum.
787 Adriano præcipiente, Niceæ ad generale Concilium ſeptimum congregantur * 350. Epiſcopi pro reſtituendo Sacrarum Imaginum Cultu contra Iconomachos ab Imperatoribus in Oriente protectos, ubi in-
797 humanum Irenes facinus horret Imperium, dum ab eadem, ut ſola regnaret * proprio filio oculos avulſos intelligit. Magis adhuc horrendum ſcelus à Judęis eſt perpetratum, à quibus crucifixi Imago Berythi perfoſſa, copioſam ſanguinis effuſionē emiſit.

CAPUT IX.

Octavum ſęculum claudit, & nonum aperit * Pontificatus
795 Leonis III. Dignus Pontifex ſtatim adverſitatibus penè uſque ad mortem impetitus, vulneribus confoſſus, ab Apoſtolorum Principe mirabiliter priſtinæ reſtituitur incolumitati. Ad Carolum Magnum tunc Paterbonæ commorantem profectus; mox Romam repetens, ibidem lætabundus Regem ad limina adventantem ſuſcepit, & in Carolo, Natalitio Domini die imperiali corona redimito,

* re

*reviviſcere gratulatur Romanorum 800
Imperium, ſicut à ferventiſſimo zelo tanti Cæſaris catholicæ Religioni addictiſſimi fidem ampliatam congaudet. Sed non minus terrenum, Regnum, quàm cæleſtem gloriam habuit in votis Carolus Magnus, hanc ut conſequeretur ſemper ſtuduit religionis incremento, dum indefeſſus Regni dilatationi ſimul, & ſemel inſudabat. Quot annis in ſolio vixit, tot cumulatus victoriis, factus eſt penè omnibus gentibus, etiam ſubdi neſciis terror. Saracini, Affricani, Perſæ miſſis tributis, & oratoribus, ejuſdem ſibi patrocinium demereri ſtuduerunt. Tanti Cæſaris pietati debet Suetia lumen fidei catholicæ. Miſſi enim per Carolum Magnum ad Biornum Regem viri Evangelici * à quibus in Suetia fi- 812
des eſt propagata: Suetiæ Regnum etiam Gotthiam complectitur, & in 29. Provincias partitur: Sthokolmum Regiæ habet prærogativam. Guſtavus I. Henrici de Vaſa filius, Danis expulſis, Regnum circa medium ſæculi XVI. ſibi ſuæque ſtirpi acquiſivit. Inter Suecorum Reges comendati-

datiſſima vivit Romæ Chriſtinæ, magni Guſtavi Filiæ memoria, quæ abdicato cum Lutheraniſmo Regno terreſtri, ut cæleſte poſſideret, catholicam profeſſa eſt Religionem, cui ut ſe totam devoveret in catholicæ religionis emporio ſecedens, pietate cum regia magnanimitate quo ad vixit compoſitâ, piè creditur facta voti ſui compos.

Dum Suetia fidem ſuſcipit, Saxonia nobiliſſimæ dominationis Metropolim à fundamentis, Dreſdam
813 ſcilicet, ad Albim excitat: * ex auguſtiſſimo Saxonum Ducum ſanguine glorientur plures regales Familiæ ſuam ſortiri originem. VVittichindus, contra quem ſæpe prælium geſſit Carolus Magnus, Saxonum Ducum ſtipes eſt glorioſiſſimus. Ferè quot Succeſſorum, tot Heroum feraciſſimus. Plures ex Saxoniæ Ducibus, ex quo ad Germanos tranſlatum fuit Imperium, inaugurati fuerunt Imperatores, qui prudentiâ, pietate, & militari virtute celleberrimi, nunquam fruſtratâ electorum expectatione, non tam Regno ſe dignos probarunt, quàm Imperio. Ad quod

* aſſu-

* aſſumitur Ludovicus Caroli magni 813
Filius, à Leonis ſucceſſore * Stepha- 816
no V., Remis ſacra, & regali un-
ctione decoratus.

Per menſes ſeptem Stephanus, per ſeptennium Paſchalis I. R. funguntur ſacerdotio, * quo inſigniti, quo 817
ad Italia Regibus parère fuit coacta, ut plurimum difficilem & calamitoſam provinciam aſſumebant gerendam. Sed mortuo Bernardo * Ca- 818
roli Magni Nepote, Italiæ Regnum unitum fuit Imperio, & Romani Pontifices majori libertate Pontificiam exercere valuerunt poteſtatem, cujus non immemor Paſchalis, Sacerdotali Conſtantià Leonem V. Orientis Imperatorem & Iconoclaſtarum Protectorem anathematì ſubjecit. Sub ejus Pontificatu * Corpus 821
ſanctæ Ceciliæ eſt adinventum, & Lotharius Imperiale diadema Romę aſſumit, Urbem etiam ſecundò repetens ſub Eugenio II. R. * ut 824
eumdem redimat à vexatoribus, ex ſchiſmate excitàtis (ſchiſma XI. Zizinii contra Eugenium II.) Eugenius contra Iconoclaſtas in Oriente invehitur, & Romę factus eſt Pater

pau-

pauperum, quorum numerum repetitæ calamitates ingeminant. Siquidem in Italia ex horrendis terræmotibus diverſa Oppida, & Urbes dirutæ, omnes ferè Incolas fecerant mendicos; Et in Gallià ſtupendæ
825 magnitudinis grando * quæ plura depopulaverat arva, mendicitatem adauxerat, in cujus grandinis irruptione gelu quindecim pedes longum, ſex latum ceciderat.

Eugenium Romam adventantibus undequaque mendicis ſubſidium
827 factum, ſequitur * Valentinus R. vix Eccleſiæ à Deo datus, ſtatim ſubla-
827 tus; pro quo Gregorius IV. R. * ſufficitur, ſolemnitatis omium Sanctorum juſtitutor. Diſſenſiones inter Imperatorem, & fratres excitatas compoſiturus Galliam proficiſcitur, ubi fratribus invicem prælium committentibus, tanta fuit ſanguinis effuſio, ut nunquam deplorabiliorem ſuorum mactationem à Regni fundatione uſque ad hæc tempora Gallia ſit lacrymata. Cadente ejus Pontificatu Lotharius Imperator dominatione pertæſus, Regnum abdicat,
840 * & regalia inſignia dimittens; Crucis

cis humilitatem in Clauſtro amplectitur, dum Ramirus I. Hiſpaniæ Rex glorioſiſſimus, ad Crucis gloriam dilatandam viriliter contra Mauros dimicans, ſub S. Jacobi Hiſpaniæ Apoſtoli, & Protectoris tutelà * nobiliſſimà partà victorià, ad 841
ejuſdem Poſteris perennandam memoriam, Ordinem Equeſtrem S. Jacobo ſacrum inſtituit.

Triumphat in Africà contra Mauros Religio, ingemiſcit in Aſià ſub Iconoclaſtis, ad quorum ulciſcendam perfidiam * Deus immani peſte 842
deſolavit Orientem. Hęc Callabriæ orta uſque ad Orientis Regiam ſeſe diffudit, apparentibus viſibiliter ſuper ſacerdotales veſtes Crucibus, quaſi oleo pictis, nec non Dæmoniorum ſpectris per Urbes, & domos divagantibus. Neque minus calamitoſa fuerunt Sergio Pontifice * 844
tempora, in quibus ſub Dei flagello nil melior factus Michael III. Imperator Orientis, ſui ſæculi Neronem, & Sardanapalum ſe exhibuit.

Sergius II. ante electionem Petrus nomine, ad Pontificatum aſſumptus, in ſui erga Apoſtolorum Principem

cipem obſequii teſtimonium, non Petrus, ſed Sergius voluit nuncupari, cujus exemplum Succeſſoribus aliud in electione nomen aſſumendi anſam exhibuit, quod & præſtitit
847 ejus ſucceſſor * Leo IV. Radolphus antea dictus, à quo Urbis mænia contra Saracinorum irruptiones inſtaurata, Saracinos autem Ludovicus II. ex Italia expulit, eodem anno electus Imperator, quo Benedictus III. * (ſchiſma Anaſtaſii præsbyteri contra Benedictum III.) Leoni fuit ſuffectus.

Sub Benedicto in benedictionibus ſupernæ dulcedinis prævenit Deus Bohemiæ Regnum, per S. Methodium, ibidem verbi Dei propagatorem; in hac expeditione evange-
856 lica Borzivorgus Bohemiæ Dux * in ſacro fonte expiatur. Huic Regno initium dederat anno 550. Zeccus qui ducta Colonià propè Elbæ flumen, ſuam ibi fecerat ſtationem: aucta poſtmodum eſt Bohemia in floridiſſimum regnum, quo ſe indignum probavit anno 916. Boleſlaus II. factus S. VVenceſlai fratricida, & Eccleſiæ perſecutor crudelis. Titu-
ium

lum regium ab Henrico IV. ſuſcepit anno 1076. Vladiſlaus I. & in Auguſtiſſima domo Auſtriaca, regnante Carolo V. Bohemiæ Regnum conſolidatum hactenus perſeveret.

Ludovico II. Imperante tres in Petri Cathedra ſederunt ſucceſſivè Pontifices. Nicolaus I. R. *qui con- 858
trà Photium Patriarcham Conſtantinopolitanum anathema dixit, qua de re excandeſcens Photius, auſus eſt in conciliabulo excommunicationis ſententiam ferre contra ipſum Nicolaum: ſub hoc Pontifice, annuente Carolo Calvo *Holandia in 863
Comitatum erigitur. Thierras Comitis titulum primus aſſumpſit; poſtremus verò ex Holandię Comitibus fuit Philippus, qui anno 1558. cum Principatu, & vitam dimiſit, ſuperſtite ejus filià cum jure comitali Philippo II. Hiſpaniæ Regi deſponſatà. Sed cum nimis auſterum videretur ſub Duce Albę Hiſpaniæ Regimen, licet ſub Duce Parmenſi mitigatum, nihilominus ſeptem ex Holandiæ provinciis nimirum Geldria, Zelandia, Ultrajectum, Friſia, Over-iſſel, Groningia, & Hollandia, alias Bata-

via

via, quæ cæteris provinciis nomen ſuum fecit commune) ſub directione Guillelmi Orangenſis Principi ab Hiſpanis ſe ſegregarunt, ut ſub libero dominio viverent; quæ tamen uniuntur in comitiis generalibus Hayæ coactis, ubi quæ ad pacem, & bellum pertinent per Deputatos Provinciarum reſolvuntur, ariſtocratico, & democratico Regimine compoſito.

Sub Ludovico in Petri Cathedra conſidet Adrianus II. R.
867 * Actum ab eodem octavum Concilium Æcumenicum Conſtantinop: IV. contra Photium fraudulenter intruſum, pro reſtituendo Ignatio perperam detruſo. Dum Hadrianus Photium Eccleſiæ Romanæ hoſtem infenſiſſimum à Fidelium conſortio reſcindit, Salomonem minoris Britaniæ Regem de Eccleſia Romana munificè benemeritum amplexatur, cujus erga Sanctum Petrum devotio ſingulis Regni ſui familiis de annuo denario Romanæ Eccleſiæ ſolvendo tributum imponit. Sed non paulò poſt ad redimendas Saracinorum vexationes Urbem minitantium, tributum

batum pendere cogitur Joannes VIII.
* Has calamitates terra anno 862. 872
immaniter concuſſa, & horribiliter
mugiens prædixerat, nec non cælum
ipſum ſanguineis lacrymis planxerat,
cum anno 870. per triduum viſa eſt
pluvia mixta ſanguine in agro Brixiano.

Egrè ferentes Itali Carolum Calvum, (cui Uſuardus Monachus ſuum dicavit Martyrologium) Imperiali corona ſolemniter à Joanne Ponti-
fice* redimitum, contra Pontificem, 875
Tuſculano comite factionem promovente, conjurarunt. Dum Joannes ab excitatis vexationibus ſe ſubducere cogitat, per Comitem Spoletinum, & Albertum Hetruriæ Ducem carceri mancipatur, undè furtim aufugiens, apud Galliæ Regem quæſivit ſubſidium. Itàliam reverſus Baſilii Imperatoris Orientis præcibus nimis indulgens, Photium doloſè ſe orthodoxum ſimulantem reconciliavit Eccleſiæ. Nimia Pontificis Indulgentia poſtmodum anſam dedit novatoribus conſuendi fabellam, in qua Joannem VIII. Fæminam fuiſſe vulgarunt. Adeò ineptum hæretico-
rum

rum commentum ſatis explodit apud omnes hiſtoricos à tempore Joannis VIII. uſque ad Marianum Scotum, primum de hac fabella inventorem, altum ſilentium. Cæterum vix dignis commendari poſſet laudibus Baſilii Imperatoris prudentià, & pietas, niſi ſui Regiminis gloriam nimià erga Photium conniventià contaminaſſet. Quam tamen ab ipſius Photii verſutiis corruptus exhibuit. Baſilii induſtria Ruthenos ad fidem convertit: primi Regni ſui annis totus Eccleſiæ paci reſtituendæ ſe addixit: humilitatem cum cæſareà magnificentià componens, non niſi poſt Romani Pontificis Legatos octavi Concilii generalis acta ſubſcribere voluit, probos ſeligendi miniſtros legem ſibi irrefragabilem conſtituerat; & quoties judiciis vacabat, per præcones populo denunciari præceperat *adeſſe Auguſtum ejus ope, & opera uti volentibus*; dignum utique omnibus, qui præſunt populis imitatione exemplum, non modo Principibus, ſed & Miniſtris, apud quos ſæpe difficiliùs, quàm apud ipſum Principem habetur acceſſus. Nihil
eſt

eſt quod magis ægrè ferant in Principe ſubditi, quàm ſi difficiles ad audientiam præficiat Miniſtros. *Si non vis audire nec regnes* dixit muliercula ad Macedonem, eo quod ad audientiam non niſi in tertio admiſſa fuiſſet acceſſu; quid in ſimili cauſa ad miniſtrum credimus fuiſſe dicturam. Unicum ſolatium eſt ſubditis in ſuis anguſtiis apud Principis Clementiam exhibere gravamen, flagitare ſubſidium: etiam ſi eàdem recedant onerati ſarcinà, quà accelerunt gravati ad Principem. Nihilominus ſolatium eſt potuiſſe accedere ad Principem ſubditos benignè recipientem, quos ſi non exoneratos dimittit, ſaltem oneratos compatitur. Ubi grave nimis eſt onus, quod non modò ſolatium, ſed neque compaſſionem invenit. Plus verò quam par ſit diggreditur ſermo occaſione arreptà ex Baſilii comitate, quam ſola erga Photium nimia propenſione abſcuravit. Photii audaciæ Pontificum imperterrita conſtantia ſemper arginem fecit; inter quos celebratur Martinus II. ab aliis Marinus I. nuncupatus, qui * 882

I ſta-

ſtatim ac ſummo inſignitus fuit Sacerdotio, Photium Eccleſiaſticis cenſuris aggreditur, quod & præſtitit
884 Adrianus III. R.*. poſt unius anni Pontificatum è vivis ereptus, ſuc-
885 ceſſore * Stephano VI. viro verè apoſtolico, abuſuum reformatore, qui
890 iterum ſub Formoſo * irrepſerunt. (Schiſma 13. Sergii Diaconi contra Formoſum) Quamvis autem hoc ſæculum multà laboraverit ignorantia, nihilominus ad dilucidanda hiſtorica monumenta, valdè proficuus inventus eſt apud Arabes cognominum uſus: deindè apud Hiſpanos, Francos, & demum apud Italos, invectus; ubi luget Eccleſià pluribus impoſterum vexata ſchiſmatibus intruſos potius, quàm electos Pontifices, morum deformitate ſummo impares ſacerdotio, inter quos poſt Bonifacium VI. R. diebus 15. ab electione ſuperviventem, Stephanus VII.
897 * crudelis moribus, crudeliter eſt interemptus. Sthephano Pontificatum gerente Ludovicus IV. ultimus ex
899 ſtirpe Caroli Magni * Imperium aſſumpſit. Quod ſequentis ſæculi anno 12. mœrore potius, contrariantis

tis fortunæ, quàm morbo conſumptus dimiſit.

Septem ſucceſſivè regnarunt Pontifices, dum Ludovicus miniſtravit Imperium, nempè poſt Romanum & Theodorum II. Joannes IX. Tiburtinus * ſtatim Formoſi acta per 901
Stephanum VII. reſciſſa, confirmans. Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtaurationi addictus enituit Benedictus IV. R.
* in ſæculo corrupto illibatus mori- 905
bus. Leo V. * à Chriſtophoro com- 906
petitore expulſus (Schiſma inter Leonem V. Chriſtophorum, & Sergium
III.) Chryſtophorus R. * pariter à 907
Succeſſore Sergio III. ejectus. Quale monſtrum ſe exhibuerit in Petri Cathedra Sergius per vim ab Aldeberto Marchione Hetruriæ intruſus, potius lacrymari iuvat, quàm referre. Sergio ſufficitur,
Anaſtaſius III. R. * de quo hiſtorica 910
monumenta pauca ſuppeditant. Ex antiquis tamen Ordinis Cluniacenſis codicibus, conſtat ſub hoc Pon-
tifice * Ordinem Cluniacenſem S. Be- 911
nedicti regulam profitentem à Bernone Abbate, auſpice Guillelmo Aquitaniæ Duce, fuiſſe inſtitutum.

Anaſtaſium ſequitur Lando ex Sabina oriundus, ad Theodoræ Au-
912 guſtæ inſtantiam * electus eodem anno, quo deficiente Caroli Magni lineà, ad Germaniæ Principes in Conrado Franconiæ Duce Imperium fuit tranſlatum.

CAPUT X.

Pontificia Tiarà in Galeam converſa viſa eſt ſub Joanne X.
913 R.* ope Theodoræ Auguſtæ intruſo. Joannes ſiquidem validiſſimo comparato exercitu, armis, & ipſe inſtructus, Saracinos in Italià debachantes aggreditur, quos pænè omnes in gladio delevit, & ſuperſtites ab Italia expulit, cum Henricus I.
919 Imperator * electus de Vandalis in Brandeburgenſi ditione, ab Henrico in Marchionatum erecta, glorioſam concludit victoriam; à quo etiam creditur fuiſſe inſtituta fæudorum primordia. De Hungaris, Bohemis, & Danis triumphator, dum Italiam verſus parat iter, paraliſi corripitur. Gemebat interim ſub intruſis Pontificibus Eccleſià Hetruriæ Du-

Ducum, & Italiæ Regum potentiâ ad placitum ſibi Pontificum electionem arrogante, ſuiſque viribus confidens Macroſia mulier impudica, quam Sergius III. habuerat in deliciis, poſtmodum ab Hugone Italiæ Rege in uxorem ducta, ſpurium filium, quem à Sergio ſuſceperat, Eccleſiæ præficere cupiens, per ſatellites Joannem X. interimere meditabatur: Sed fruſtrata Macroſiæ mente, Leo, VI. R. * à Clero eligitur, 927
qui dum Eccleſiæ damnis parat occurrere, maiora in ſe damna experitur per Sicarios, crudeli neci factus obnoxius. Non minori Stephanus VII. * fervet Prędeceſſoris ſui 928
zelo pro Eccleſiâ, ſed mors executionem prævenit, quà propter ſub Joanne XI. impudicę Macroſiæ ſpurio filio * ſuis obruta calamitatibus 932
gemere ſequitur religio catholica. Joanne tandem unà cum matre carceri mancipatis, ubi etiam diem clauſerunt extremam. Leo VII. R. * Eccleſiam regendam aſſumit. S. 936
Odilonem Romam vocatum conſultorem in emergentibus Eccleſiæ neceſſitatibus adhibuit: eodemque an-

no, quo Leo Pontifex, Ottho I. Imperator eligitur; furentibus tunc in Italia Saracinis, à quibus inter alias Urbes Genua capta, omnes præter pueros, & mulieres, quotquot obvii facti ſunt cives miſerè interfecti immanem hanc ſanguinis effuſionem fons ſanguinis anno præcedenti Genuæ ſcaturiens prenunciaverat.

Ottho Magnus Henrici filius, ex Auguſto Saxonum Ducum ſanguine
937 progenitus * capeſſit Imperium, victiſque Hungaris, & Bohemis Italiam profectus, Berengerium Italiæ Regem profligat, & libertati reſtitutà Adelaide Burgundiæ Regis Filià, quæ ſub Berengerii tyrannide captiva gemebat, eandem ſibi matrimonio copulavit. Aleramus ex ſorore Otthonis nepos, primus Montis ferrati Marchio conſtituitur, ejuſque filii poſtmodum ab Otthone III. Marchiones Ceve, ſalutiarum, aliiſque in Liguriæ regionibus inſtituuntur, cæperuntque dominari, in tota ferè Liguria diverſe familiæ, cum Leopoldus primus in Auſtria Marchio inſtituitur. Otthoni I. adſcribuntur torneamentorum exercitia ad

ad equitum probandum valorem, quorum ludorum occaſione gentilitia familiarum ſtemmata primò fuerunt explicita.

Roma licet reluctans * natione 939
Germanum Pontificem recipit Stephanum III.; majori cum plauſu ſucceſſorem venerata * Martinum III. 943
R. Eccleſiaſticorum reformationi, Eccleſiarum reparationi, & pauperum ſubſidio, defatigantem; nec non in pace conciliandis Principibus ſæculi, à quibus divexabatur, Eccleſia, potiſſimum à Berengerio tyrannidem in Italia exercente, contra quem Agapitus Pontifex * Otthonem exci- 946
tavit: præſtò occurrit. Imperator ad prȩſtandum oppreſſo Pontifici ſubſidium, qui à vexatione redemptus, Eccleſiæ utilitati incumbens, ad piam Frulonis Danimarchæ Regis petitionem, operarios Eccleſiaſticos ad Occidentales plagas direxit ut orirentur Catholicæ Religioni, quam Daniæ Regnum ſub Chriſtierno II. introductis proteſtantium erroribus abdicavit. Glorioſa inter Sanctorum faſtus vivit Canuti IV. Daniæ Regis memoria, martyrii lau-

reà, quam anno 1085. conſecutus eſt, plus quam diademate regio conſpicui. A prima Regni iuſtitutione uſque ad annum 1660. electorum ſuffragia Daniæ Regem præfecerunt: ex tunc hæreditario jure Chriſtierni IV. ſucceſſores Regno Potiuntur, nunc miſerè inter hæreſum tenebras obnubilato, quod jam Evangeli luce Agapitus irradiaverat.

Agapitum pietate conſpicuum, canitie venerabilem, ſequitur Joan-
955 nes XII * ob ętatem juvenilem, & perditos mores deſpicabilis, per vim à Patre Alberico, Romę tyrannidem pluſquam principatum exercente, ad Pontificatum ſublimatus, indigni Patrui Joannis XI. peſſimus nepos, contra quem à Clero Romano congregata Synodo, Otthone etiam conſentiente, promulgata eſt depo-
963 ſitionis ſententia * Leone VIII. ſuffecto: quà propter Romà aufugiens Joannes, Otthonis indignatione perterritus, tandiù latuit, donec Otthone in Germaniam reverſo, iterum Romæ auſus eſt Pontificatum repetere, & convocato Con-
963 ciliabulo * acta Concilii anno præce-

cedenti celebrati reſcindere. Caſſam irritamque Leonis VIII. electionem declarat * (Schiſma Leonis contra Benedictum V.) pro quo convenerant Cleri ſuffragia; Leo enim per vim ab Otthone fuerat intruſus, quare poſt annum circiter Ottho Imperator, ut Leonis intruſi electionem ſuſtineret, Romam iterum repetit, obſidione, & fame obſtringit, captumque Benedictum, Hamburgum exulem mittit, ubi brevi fuit morte * correptus. Per Leonis, & Benedicti deceſſum ſchiſmate extincto, Joannes XIII. Pontificatu potitur; ab hoc Pontifice primum campanas fuiſſe benedictas refertur, & nomine ſacro donatas. Joanne vitâ functo, Pontificatum ſuſcipit Benedictus VI., & Ottho II. * capeſſit Imperium; ingemuit Pontifex inter ſibi illatas à Bonifacio Antipapa vexationes, (Schiſma Bonifacii contrà Benedictum) & pontificatum exitu infeliciſſimo clauſit, ſiquidem à factioſis antipapæ adhærentibus captus, miſerè * extrangulatur. Benedictum ſequitur in pontificatu Domnus II. non niſi per

964 965 972 974

tres menſes in pontificiâ dignitate
975 ſuperſtes, deinde * inauguratur ſummo omnium plauſu, & inenarrabili lætitia Benedictus VII., quem virtutum excellentia tantâ dignum fecerat gloriâ; in multa ſapientia inter deplorabiles hujus temporis anguſtias commiſſam ſibi rexit Eccleſiam, ſed ſuâ in pertinacia perſiſtens Bonifacius Antipapa, Conſtantinopoli,quo aufugeratRomam repetiens, Benedicto VII. poſt nonum pontificatus annum è vivis ſublato, repetitas Eccleſiæ intulit vexationes, à quibus Pontifex ut Eccleſiam ſubduceret, Otthonis II. auxilium imploraverat, qui preſtò accurrens, à Græcis, & Saracinis in Italiâ debachantibus aggreſſus, Italorum ope & auxilio deſtitutus, in Callabria, unà cum ſuo exercitu profligatur, venenatæ ſiquidem ſagittæ vulnere confoſſus occubuit.

Inaudito furore hiſce temporibus homines exagitari non immeritò dixeris, qui multa inhumanitate tam facilè ſæviebant. Roborat Argumentum Sævities Baſilii Imperatoris Orientis, qui 15000. Bulgaris ductis

cap-

captivis, omnes oculis orbari præcepit, uno tantum oculo 150. ex præfatis captivis relicto, ad hoc ut unuſquiſque ex ſemicæcis mille excęcatis ducatum præberet.. Dum Baſilius excæcat Homines, Cœlum Luminare majus ingeminat, gemini ſiquidem Soles per biduum viſi ſunt, nec non acies confligrantes per aera; quæ horribilia portenta hujus temporis calamitates deſſignabant, quo ferè continuo Schiſmate agitabatur Sacerdotium, & Regnum Bellorum anguſtiis concutiebatur. Bonifacius antipapa, qui jam contra duos Pontifices ſchiſma excitaverat, contra Joannem XIV. * ſchiſma 16. protrahebat, 984
ſuamque exercens crudelitatem, Pontificem oculis orbatum, in carcere detruſum fame conſumpſit; nec minores paſſus eſt ab antipapa Bonifacio calamitates Joannes XV. Bonifacio VII. * vix dato erepto ſuffectus, 985
qui Bonifacii antipapæ potentiam timens, & ſævitiem, ab Otthone III. quæſivit ſubſidium, ſed tandem timorem excutit Pontifex; cum antipapam Bonifacium improviſa morte è vivis ſublatum intelligit, cujus cada-

ver nudum publico expoſitum ludibrio in Tiberim proicitur.

Paucis acceptum fuiſſe Joannem XV. ſunt qui autumant, eo quod conſanguineis ſe nimis exhiberet propenſum, & inter illos Eccleſiæ bona diſperderet, quæ Pauperum ſubſidio debentur. Dum luget Eccleſia diſſipatum Patrimonium terrenum, evangelici ſeminis uberiores fructus colligit in Regno Moſcoviæ, ubi Volodo-
988 mirus * novum Principatum inhiens, qui nunc temporis in potentiſſi num crevit Imperium, Sacro Baptiſmate voluit initiari. Antiquę Sarmatię potiorem partem Moſcovia complectitur, Ruſſia alba ob nivium copiam vulgò nuncupata. Magni Ducis Moſcoviæ titulum primus aſſumpſit circa annum 1400. Joannes III. Cum verò Moſcovitæ ope Græcorum Chriſtianę Religioni nomen dederint, unà cum Græcis ad Schiſma declinarunt, & tamquam Supremum ſuæ Eccleſiæ caput Patriarcham in Urbe Muſca reſſidentem venerantur, nullumque cum Eccleſia Romana patiuntur commercium.

Cum

Cum diverſimodè de Joannis XV. probitate aliqui ſentiant, ab eo geſta ut in pace Eccleſiam regeret ſatis ejus prudentiam commendant. Tyrannidem Romæ tunc temporis exercebat Creſcentius Caſtro S. Angeli potitus, contrà quem Ottho III. inſtante Pontifice, arma paravit. Dum Imperator ut Creſcentium expelleret Caſtri factus eſt obſes, moritur * Pontifex, cujus Succeſſorem fuiſ- *996*
ſe Joannem XVI. plures autumant, ſed negat Baronius; hinc variè ſcribunt Hiſtorici, dum Pontifices, qui ſub Joannis nomine fuerunt aſſumpti enumerant; alii enim Pontifices Joannis nomine diſtinctos numero 22. alii 23. fuiſſe contendunt; quidquid verò ſit de Joanne XVI., Gregorii V. prædeceſſore, ſi inter Pontifices eſt recenſendus, certum eſt quod breviſſimam paucorum menſium in Pontificatu vitam protraxit, ſucceſſitque Gregorius V. natione Saxo (Schiſma 17. Joannis Placentini, contra Gregorium) qui per Creſcentium ab Urbe expulſus, ope Otthonis III. Romam victor revertitur, & pacificè poſtmodum Pontificio ſedet in Solio.

Ad pacificam Imperatorum electio-nem poſt hàc obtinendam, quæ in Otthonis III. inauguràtione non paucas excitaverat diſſenſiones, unà cum Otthone conſilium accipit Gregorius de bulla aurea electionis cæſareæ mæthodum exhibente ſanciendà; eodem tempore, quo pro Imperio cœleſti acquirendo alias meditatur ſanctiones Romualdus Camaldulenſis
997 Ordinis * Pater, qui ſuis aſſeclis conſtitutiones præſcripſit,quibus in mundo extra mundum vivere homines, ſolo corpore in terris, ſpiritu in Cœleſti Patria abſorpto edocentur, ad quam Romualdus annorum 120. evolavit.

Mundi miraculum dictus eſt Ottho III. cujus præceptor fuit Gerbertus, poſtmodum in Pontificatu Silveſter II. nuncupatus: ſub tanti præceptoris diſciplinà, non niſi dignos concepit ſenſus optimæ indolis Princeps, ætatis annorum 28. veneno conſumptus à Creſcentii Vidua, quam duxerat in Uxorem. Ab Otthone Beroldus magni VVittihindi Saxoniæ Du-
998 cis inclitum germem Sabaudiæ * Dominus conſtituitur. Quanta fuerit Beroldi

roldi militaris virtus, & Religio hiſtorici Sabaudiæ faſtus commendant, utriuſque virtutis ejus Succeſſores ſe dignos ſemper probarunt Hæredes, qui inter omnes regales familias hâc ſupereminent gloriâ, ut rectâ lineâ nunquam interruptâ à Patre in Filium, aut à Patruo in Nepotem ſemper auguſtus Beroldi ſanguis uſque ad Carolum Emmanuelem Sardiniæ Regem fęliciter regnantem defluxerit; itaut ſingulari Dei providentiâ hoc auguſtum Regii ſanguinis germen, quod nunquam à Catholicâ Religione deflexit, ad Italiæ præſſidium a Deo ſervatum, per tot ſæcula fas ſit profiteri. Quibus pepercerunt expenſis, quibus non ſuccubuerunt diſpendiis, ut ſartam tectam in Italia Cattholicam Religionem ſervarent. Si Italiam non inficit Hæreſis, quæ quaſi inter compedes in Vallibus languens ingemiſcit, ne ultra poſſit dilatari, non ne religioſiſſima Sabaudiæ Domus hanc ſibi vindicat gloriam. Quid in hâc causa, & ad tutandam ab imminenti contagio Italiam intentatum reliquit Magnus Victorius Amedeus, inter ſui ævi Re-

ges

ges ingenii perſpicacià, militari peritia, in proſperis moderatione, in adverſis conſtantià, meritò nuncupandus portentum Principum. Hæc de auguſta Sabaudiæ Domo non videbantur reticenda, occaſionem nactus ab Otthone III., cui ſanguinis neceſſitudine Beroldus erat adſtrictus.

Ab Otthone etiam Boleſlaus Regiis inſigniis decoratur, cum primùm tantùm Duces nuncuparentur in Polonia principantes, quorum primus fuit Zechus anno 550. Mieſlas verò Dux ultimus, primus inter Catholicos Poloniæ Duces eſt recenſendus, quippe qui cum Regni primatibus Gneſgnæ Catholicæ Religioni voluit adſcribi, quæ nullum adhuc Poloniæ Ducem ſuo in ſinu receperat. Inter Reges verò Boleſlaus II. dictus crudelis infamiæ notà vivit apud poſteros, ob illatam anno 1060. S. Stanillao Epiſcopo Cracovienſi mortem, in cujus ſceleris pœnam mente captus ſe ipſum interimit. Nobiliori memorià commendat fama Boleſlaum V. ob caſtitatis amorem cælibatum cum uxore ſervantem, nec

non

non Caſimirum III. Magnum noncupatum, & ultimum Regem, qui ratione Hæreditarii juris ſit Poloniæ Regno potitus: poſt hàc enim, ſcilicet ab anno 1378. ad Poloniæ Regnum votorum pluralitas non modò Regni Primates, ſed etiam Exteros ad Solium erexit, cui Uladiſlaus IV. anno 1386. Lituaniæ Ducatum, & Pruſſiæ partem indiſſolubiliter copulavit. Inter exteros in quibus Electorum calcula convenerunt, recenſentur anno 1570. Henricus Henrici II. Galliæ Regis Filius. Stephanus Batorius Tranſilvaniæ Princeps anno 1576. Sigiſmundus III. Svetiæ Rex anno 1587. Auguſtus Saxoniæ Elector anno 1698., cujus prudentiæ, & munificentiæ, quantum debeat Poloniæ Regnum in poſteros glorioſa ejus fama in æternum victura vulgabit. Cujus pietati quantum debeat Eccleſia, quæ eundem à Lutheraniſmo ad Catholicam Fidem revertentem lætabunda ſuſcepit, nemini non poteſt eſſe compertum, qui uberes, quos ex hac converſione fructus receptura eſt Chriſtiana Reſpublica, ſecum tacitus revolvet.

CAPUT XI.

FErreum fuit Eccleſiæ præteritum ſæculum, in quo non modicâ laborantes ignorantiâ Eccleſiaſtici, plures Pontificiæ dignitati impares ſuffecerunt. Nihilominus Pontifex penè omnium ſcientiarum excellentiâ celebris ſeculum clauſit Silveſter II.
999 Monachus * ad Pontificatum ſublimatus, à quo Stephanus I. Hungariæ
1000 Dominus * Regio titulo condecoratur. Dum gaudet Eccleſia de ſcientifici Electione Pontificis, Imperium
1002 veneratur in Solio * Sanctitate Illuſtrem Henricum II. Bavariæ Ducem. Carlomannus Ludovici I. Filius Auguſtæ Domus Bavariæ nunc Regnantis glorioſus eſt ſtipes; non modò ſuos Reges Svetia, Danimarca, & Norvegia ex hac ſtirpe aſſumpſerunt, ſed etiam glorioſiſſimi Cæſares ex eâdem germinarunt; Inter quos veneratur Sanctitatis gloria celebris Henricus caſtitatis exemplum, quam licet uxoratus, Chunegundâ ſanctiſſimâ Sponſâ conſentiente, illibatam ſervavit. Henrico imperante Hungari

gari ad ſui Regis S. Stephani exemplum ſacro in fonte baptiſmali ſunt expiati. Si tamen vetuſtioribus ſtandum eſt documentis, jam ab anno 744. S. Adalbertus Epiſcopus ſacris diluerat undis Zultanum Hungariæ, ſive Pannoniæ Ducem. Hungarorum Dux primus fuit Attila anno 401., ex Schytia in Pannoniam ſecedens, hinc in Italiam erumpens flagellum Dei nuncupatus; Rex vero primus fuit S. Stephanus ſub Silveſtro II., quo è vivis ſublato pontificatum aſſumit * Joannes XVII. R. 1003
eodemque anno inauguratur Joannes XVIII., (ut aliqui aſſerunt,) utique diſſidioſus in pontifiatu non vixit; ſi Eccleſiam Græcam ad unitatem cum Latinâ reduxit. Certum eſt pontificiam impleviſſe dignitatem * Sergium IV. R. cujus divitias in cæleſtes theſauros manus pauperum deportaverunt, quorum ſubſidio Stephanus in Hungaria ſæpe errarium regium conſumpſit; ejus ope Benedictus VIII * Sergio ſuffectus, 1009
à factioſis Romà expulſus, iterum recipitur, ubi unà cum Chunegunda Auguſta Henricus à Pontifice * 1014
Im-

Imperiali corona redimitus, non modo Romanæ Sedi à ſuis Prædeceſſoribus donata confirmat ſed etiam Bambergam, & Beneventum S. Petri aggregat patrimonio; poſt reportatam de Bavaris victoriam, Arduinum Regem in Italià debellat, quàm à piratis Saracinis infeſtatam, Benedictus priſtinæ reſtituit ſecuritati, à quo etiam Judæi in Jeſu Chriſti Imaginem ferià ſexta in Paraſceve ſævientes, dignis pænis mulctantur. Sacrum cultum promovendi ſtudioſiſſimus Pontifex, ad Henrici præces iterum Germaniam proficiſcitur, Bambergenſem conſecraturus Eccleſiam, quà in ſolemnitate primùm adhibiti muſicales concentus, ex inventione notarum muſicalium, quas ad cantus directionem Guido monachus Aretinus hoc ævo invenerat compaginati. Dignis tandem Pontifice factis Benedictus glorioſus occubuit eodem anno, quo Henricus * ſanctitatis gloria celebris in Domino obdormivit.

Henrico Conradus II. Benedicto
1024 * Joannes XIX. R. ſuccedunt, hic quamvis Comitis Tuſculani patris
ſui

ſui potentia fratus ad pontificatum perveneri, probris moribus ornatum Pontificem ſe exhibuit, Conradum in die ſolemni Paſchæ * coronavit in Cæſarem. An autem extremi judicii terrore concuſſus monaſticum ſuſceperit habitum controvertitur, ſed ſi Monachum induit, iterum è Monaſterio ad pontificium regimen fuiſſe evocatum fas eſt aſſerere, quandoquidem conſtat Romæ * in Vaticano ſepultum, & Benedictum IX. adhuc duodennem prædeceſſorum Benedicti, & Joannis fratrum nepotem, prævalente Tuſculanorum Comitum potentia, fuiſſe intruſum. Benedictus à vocatione ſacerdotii omnino alienus, ob iuvenilem ætatem Pontificatui gerendo ineptus, ad vitia declinans, à ſumma Sede * ejicitur, & Sabinenſis Epiſcopus ſub nomine Silveſtri III. ſubrogatur. Uſque ad annum 1014. diro, & longo ſchiſmate Benedictus vexavit Eccleſiam, mox per dimiſſam, mox per reaſſumptam dignitatem Pontificiam, quam illecebris ſæculi ſtimulatus, mox renunciabat, deinde regnandi ambitione exagitatus

1027 1033 1043

tatus, Comitibus Tuſculanis rem promoventibus repetebat: ſexies renunciando, & repetendo pontificatum, animi ſui levitatem producens, quod fuit in cauſâ ut tres pſeudopontifices ſimul, & ſemel, unus in Vaticano, alter apud S. Mariam Majorem, tertius in Lateranenſi Baſilicâ reſiderent. Qui omnes hortante Joanne Gratiano ſummi ſacerdotii renunciarunt inſigniis, ut ad liberam Pontificis electionem Clerus procederet: ſtatim eligentium vota in Gratianum collimarunt, per
1044 cujus electionem * à diri ſchiſmatis infeſtatione Eccleſia eripitur, quæ in hac ærumnoſa tempeſtate depravata moribus, ſub brevi Gregorii VI. Pontificatu virtutibus cumulato, ſtatim reformata apparuit.

Poſt biennium Gregorio ſuffici-
1046 tur Clemens Saxo * illicò contra Simoniacam labem tunc debachantem, coegit Romæ Concilium; deindè Henricum III. ſolemni ritu ſacravit in Cæſarem, mox Cæſar & Pontifex Germaniam proficiſcuntur ubi Clemens morte correptus Bambergæ tumulatur. Quapropter Da-

ma-

maſus II. ſuſcipit * pontificatus in- 1048
ſignia, Præneſte poſt 29. ab electio-
ne diem è vivis ereptus, infeſtante
adhuc tunc temporis Benedicto IX.
Eccleſiam, quæ ferè per annum fuit
viduata paſtore. Clemens, inter Pon-
tifices, primus eſt qui diplomata
pontificia Incarnationis anno con-
ſignaverit. Tiarà digniſſimum ſe
exhibuit * Leo IX., quem primum 1049
fertur Pontificis nomine ſignatam
cudiſſe pecuniam, Normannos Ita-
liam infeſtantes compreſſit, diſſi-
dentibus pacificandis addictus, Im-
peratoris cum Duce Lotharingio re-
conciliationem obtinuit, Genuen-
ſes etiam cum Piſanis bellum com-
mittentes componere ſtuduit, quo
in bello Piſani * Corſicæ partem Ge- 1050
nuenſibus ademerunt. Inter ſanctos
poſtmodum relatus eſt Leo Ponti-
fex, cujus ſanctitatis veſtigia pro-
ſequitur Victor II. * etiam Germa- 1054
nus, diſciplinæ Eccleſiaſticę reſtau-
randæ zelantiſſimus, ſub quo dum
Berengarius hæreſis anteſignanus
ſuis retractatis erroribus Eccleſiæ re-
ſtituitur, Henricus IV. deſignatus * 1056
Auguſtus, deinde factus hæreſis po-
liti-

liticorum ſignifer, ab Eccleſiæ communione reſcinditur.

Henrici Imperium ad annos 50. protractum grave ſenſit Eccleſia, diù ab eodem vexata, nempe ſub Stepha-
1057 no IX.* Lotharingio Cleri Reformatore, & Eccleſiæ Græcæ cum Latina reconciliandæ avidiſſimo. Sub Ni-
1059 colao II. Sabaudo * (Schiſma Mincii contra Nicolaum II.) jus eligendi Pontificem ad Cardinalium ſuffragia revocante. Contra Simoniacam labem ſtrenuo propugnatore, à S. Joanne Gualberto penè radicitus avulſam. Sub Alexandro II. Mediolanen-
1061 ſi * Ordinis Canonicorum Reformatorum Approbatore, Simoniacæ Hęreſis malleo, qualem etiam ſe exhibuit S. Petrus Damianus ex Monacho Cardinalis Epiſc. Hoſtienſis. Ciſalpini Epiſcopi Alexandri electionem ægrè ferentes, rem promovente Henrico IV. Cadolaum ſub nomine Honorii II. Alexandro oppoſuerunt, ex quo diutinum excitatum eſt Schiſma.

1073 Eadem dies vidit * Alexandrum è vivis ereptum, & Gregorium VII. ſummo Sacerdotio initiatum, Gregorius ad Patris ligna edolantis pedes,

des, litterarum inſcius, ex rejectis ſegmentis, manum pueri ductante numine, ſcripſerat. *Dominabitur à mari, uſque ad mare*. In ejus aſſumptione ad Pontificatum impletum eſt vaticinium; Sacerdotali Pontificem agens conſtantià, Henricum Simoniacum * anathemate percutit, reſipiſcentem abſolvit, recidivum iterum innodavit. Sed dum Gregorius Cæſarem ſibi probat infenſum, Pontificiæ Sedi addictiſſimum, & pietate eximià inſignem gratulatur S. Canutum IV. * ad Danimarcæ Regnum aſſumptum (Regni initia excitaverat anno 930. Heroldus Princeps pientiſſimus) & ad æternum Regnum cum glorià Martirii tranſlatum, quam conſequitur Staniſlaus Cracovienſis Epiſcopus * ab impio Boleslao obtrnncatus. Mirabile eſt, quod à S. Epiſcopo paulò ante glorioſum ſuum deceſſum patratum fertur prodigium; poſt triduanam Staniſlai orationem Petrus quidam, jam per triennium tumulatus revixit, & teſtis multis ſpectantibus ad Regis Boleslai tribunal ſiſtitur, Epiſcopum ab illatà calumnià vindicaturus.

1075

1076

1079

Dum Epiſcopum perſequitur Boleslaus, Henrici perſecutioni ſuccum-
1086 bit Pontifex Victor III. * Beneventanus, totus umilitati addictus; ſtatim ac ſuæ electionis Nuncium audivit, in Monte Caſſino, ubi Abbatiali fulgebat dignitate ſe abdicans, non niſi coactus electioni acquievit: Magnum utique umilitatis exemplum: Siquidem gloriæ hujus Mundi ferè omnes avidiſſimè inhiant, cui ut omnem excluderet aditum S. Bruno in Carthuſiæ antris unà cum pluribus ejuſdem piiſſimi ſenſus ſe abdidit, Carthuſiano Ordine hoc anno 1086. inſtituto, cujùs Profeſſores in cilicio, ſilentio, & jejunio à Mundo ſegregati, ſoli Deo vivere enixè contendunt, vitæ contemplativæ omninò dediti, cui vitam activam, eàdem ſtimulante charitate, quæ omnia ad Deum dirigit, præferunt Profeſſores Ordinis S. Antonii, novem poſt annos à Carthuſiani Ordinis inſtitutione plantati, in agro Vienneſi, infirmis morbo *ignis ſacer* dicto, vel alià ex igne plagà laborantibus deſervientes.

Duodecim ab Inſtitutione Carthuſianorum annis præteritis, ſcilicet

Anno

Anno mileno centeno bis minus uno; ſub Patre Roberto capit Ciſtercius Ordo, cum Urbanus II. a ſolitudine * ad 1088 Pontificatum ſublimatus, jam per decennium Pontificio ſederet in Solio, ab antipapa Guiberto, & ab Imperatore Henrico pluribus probatus tribulationibus. Ciſtercienſis Ordinis in Galliis ſub Urbano Pontifice natione Gallo excitati, potiſſimum ornamentum fuit in ipſius monaſtici inſtituti initiis S. Bernardus etiam Gallus nobilibus ortus Parentibus; eodem promovente ſtatim fons parvus crevit in flumen magnum, quo omnia Catholici orbis Regna irrigari voluerunt; quapropter ad varias orbis oras ex Ciſtercio, & deinde ex Claravalle deſtinantur plantationes novellæ, per quas poſtulantium piæ petitioni fieret ſatis; primiſque ab Ordinis Ciſtercienſis inſtitutione annis, plures potentiſſimi Principes cum Ordinis umilitate, Mundi faſtum commutarunt.

Dum Sæculi Principes Regularis Obſervantiæ jugo in Ordinibus Monaſticis ſe ultrò ſubmittunt, Eccleſiæ Prçſules ab Henrico variis opprimuntur

tur perſecutionibus, quas experitur ipſe Pontifex Urbanus, inſtigante Henrico, ut aſſeritur, veneno conſum-
1098 ptus, celebrato prius * Barenſi Concilio, in quo S. Anſelmus, Auguſtæ prætoriæ in Pedemontio civis, ex Ordinis Benedictini Monacho Cantuarienſis Epiſcopus, Spiritus S. Proceſſionem à Filio validis argumentis ſuſtinuit, primus Scholaſticæ mæthodus inventor, quæ à Theologis fuit poſt hàc in diſputationibus frequentata; quapropter omnium Doctorum Scholaſticorum parens meritò habendus, quòd argumentum ſatis probat, quantum debeat Reſpublica Litteraria ſtudiis Monaſticis.

Pontificum ultimus, ſub Henrico IV. graviter ingemiſcit Paſchalis II. Tuſcus * (Schiſma Guiberti, deinde Alberti, Theodori, & Silveſtri contra Paſchalem) reformandis moribus duplex concilium celebrat, mox aliud in Galliis pro beneficiorum inveſtituris contra Henricum Angliæ Regem, & contra Henricum IV. Imperatorem; inito cum primo pacis fædere, in ſuà obduratus pervicacià moritur Cæſar, ſola peritià rei militaris

taris ſpectabilis, quippe qui 62. in prælijs, mortis periculis intrepidus obviam factus, quaſi ſemper victor univerſæ Europæ timorem incuſſit, ſolis Pontificibus imperterritis, qui ejus irrationabili voluntati, ſe ſe opponentes, poſt neglecta ſalutaria monita, Eccleſiaſticis ſubmiſerunt cenſuris, à quibus ut abſolveretur, pænitens ad eorum pedes promiſerat reſipiſcentiam, ſed non paulò poſt iterum lapſus, Imperij proceres concitavit, à quibus unà cum Pontifice capto conſilio de alio Cæſare ſubrogando, in novis comitiis Rodulphum Soabenſem Ducem, exauthorato Imperatori oppoſuerunt. Fuit Henricus Pontificum Flagellum, Principiſſę Mathildis implacabilis hoſtis. Mathildis Hetrurię Comitiſſa virilem ſortita animum, tutandæ Religionis Catholicæ Zelo æſtuans, Pontificum contra excitatas ab Henrico perſecutiones propugnaculum facta, ſæpe potenti ſtipata milite cæſareas copias aggreſſa eſt, & Henrici hoſtiles impetus compreſſit, ut veram, ſuo ævo, Eccleſiæ Romanæ Amazonem meritò dixeris celebrandam. Seniò tandem

confecta, Romano pro tempore Pontifice ſui Patrimonii hærede inſtituto, poſt vitam in bellis actam, in pace quievit.

Paſchalis II. Anguſtias ab Henrico IV. illatas non modicum alleviaverat fauſtiſſimum Nuncium, de Godefrido Boliono pro Terra Sancta à Turcarum jugo redimenda viriliter decertante, meritò unanimi omnium conſenſu in Jeroſolymæ Regem inaugurato, æternà digno memorià, cui poſt breve ſolius anni Regnum è vi-
1100 vis ſublato ſuccedit * Balduinus Frater, aliique ſeptem ſucceſſivè Reges coronantur, ſub quorum ultimo Balduino V. Jeroſolymæ Regnum, ſummo totius Catholici orbis mærore fuit à Saladino Syriæ Sultano poſt annos 88. à Regni inſtitutione, & Godefridi electione conſumptum, nec amplius Loca Sancta à Turcarum præpotentià uſque in præſens, proh dolor? vindicari potuerunt.

Ab intentato contra Eccleſiam bello in Oriente non modo affligantur Catholici, ſed etiam in Occidente ab Henrico V. vexantur, Imperii
1106 ſimul, & impietatis * hærede, à quò poſt

poſt Paſchalem II. multa etiam perpeſſus eſt Gelaſius II. Piſanus * (ſchiſma Mauritii Burdini contra Gelaſium) Cencii frangipani iram declinaturus, in Galliam coactus ſeſe recipere. Non minora patitur Calliſtus II. Burgundus, Cluniaci, ubi præceſſor deceſſerat * in Pontificem electus; Sed tandem Henricum V. reconciliavit Eccleſiæ. Coacta eſt à Caliſto Synodus Æcumenica nona in Lateranenſi Baſilica * pro tollenda Sacerdotii, & Imperii diſcordià ex uſurpatis beneficiorum inveſtituris ortà, & pro ineundo bello in Saracinos, ad quorum audaciam reprimendam fortiter poſthàc ſe oppoſuit nobiliſſimus Ordo equeſtris S. Ioannis Jeroſolymitani, propè hæc tempora inſtitutus, poſtmodum Rhodienſis, mox Maltenſis ab Inſula ordinariæ reſſidentiæ Supremi Magiſtri nuncupatus, quam dicto Ordini Carolus V. conceſſit anno 1530. Huic ordini contemporaneus fuit ordo equeſtris de Avila, ab Alphonſo primo Luſitaniæ rege ad compeſcendam Maurorum temeritatem excitatus. Circa eadem tempora, quibus ad conterendos Saracinos

1108
1119
1122

præfati ordines inſtituuntur, ad profligandam Tandem nefariam hęreſim Norbertus colligit regularem mili-
1123 tiam, fundato ordine * Canonicorum Præmonſtratenſium.

Sedente poſt Calliſtum in Throno
1124 Pontificio * Honorio II., & Lothario
1125 II. Saxone * in Throno Cæſareo, inter Burgundiæ Regem, & Lotharium excitantur diſſidia per Beatricis ſponſalia compoſita. A Lothario Sancita lex, ut omnes Itali uterentur jure Romano, quod cum interpretandum ſuſcepiſſet Vernerus Bononienſis, *Lucerna juris* eſt nuncupatus. Juxtà an-
1130 tiqua jura Lotharius ab Innocentio*
1137 Honorii ſucceſſore coronatur * in Cęſarem. Mox contra Rogerium Siciliæ Regem arma deferens Benevento potitur; Gręcorum in Callabria oratores excepit, & Innocentii cauſam contra Anacletum (Schiſma) Sedis invaſorem ſuſtinuit. Quam promovit S. Bernardus, cujus virtus conſpicuis illuſtrata miraculis, etiam à Schiſmaticis venerationem ſibi conciliabat, quæ talia, ac tanta fuerunt, ut de eodem meritò ſcripſerit Bellarminus. *Bernardus pluribus claruit miraculis, quam*

quam ullus Sanctorum, quorum vitæ ſcriptæ extant; Ab ejus ore, ſuo æuo pendebant Pontifices, Reges, ſæculique magnates, qui certatim ordinis novelli dilatationi contribuebant, ex quo pullularunt conſpicuæ Congregationes Monaſticę, nimirum Congregatio S. Bernardi in Hiſpania anno 1425. Fulienſis in Gallia, & S. Bernardi in Italia anno 1577. puſillus quidem grex, cui tamen Divina Providentia ſibi complacuit dare gloriam non modicam in Eccleſià ſuà, quandoquidem ex eadem Congregatione ad purpuram noſtra ætate eruditiſſimi viri fuerunt aſſumpti, inter quos fulget Cardinalis Bona à Monte Regali, cujus opera ab omnibus eruditis expetita, in diverſa idiomata tranſlata, ejuſdem pietatem, & doctrinam proclamant. Hęc occaſionem nacti à D. Bernardo Doctore Mellifluo, Hæreticorum malleo, qui Petrobruſianorum, Henricianorum, Arnaldiſtarum proterviam Theologicis argumentis contrivit, quibus emergentibus in cauſis celebrat Innocentius * Concilium Generalę Lateranenſe II. 1139

1143 Cæleſtino II. * nec non Lucio II. brevi è vivis ſublatis, Eugenio III. Pi-
1145 ſano D. Bernardi diſcipulo * Pontificatum gerente, contrà Saracinos Loca Sancta ab Infidelium jugo ſolutu-
1147 rus * D. Bernardi Hortatu Conradus III. potenti cum exercitu Paleſtinam proficiſcitur. Imperatoris gloriam piè emulatur Ludovicus VII. Galliæ
1148 Rex * inſtructis contra Saracinos militaribus copiis. Res utique grandi apparatu, magnoque cæpta fervore, Deo ſic diſponente, infælicem, juxtà humanum captum, ſortita eſt exitum. Exercitus cruce ſignati profectibus ſe oppoſuit Emanuel Comnenus, Grecorum Imperator, non armis, ſed proditionibus, ejuſque immanis perfidia perpetuò apud Catholicos erit deteſtabilis; Siquidem Occidentalium Principum gloriæ invidiſſimus, mixto in farinà venenoſo pulmento, plus obfuit Catholicis, quàm nocere potuiſſent hoſtes igne, & ferro ſanguinolentis in præliis. Sed judicia Dei abyſſus multa: mirabilem de hac fruſtratà expeditione apologiam ſcripſit S. Bernardus in lib. de conſid. quos
1149 obtulit * Eugenio: hiſce in libris non mo-

modò Pontifices, ſed etiam Principes poſſunt veri regiminis normam aurire.

Pontificatum Eugenius, Imperium Conradus abſolvunt * ad pri- 1153
mum Anaſtaſius IV. ad ſecundum Federicus Barbaroſſà ſublimantur; poſt annum ab aſſumptione Pontifex, poſt 38. Imperator ſolvunt debitum mortis: ille conciliato ſibi ſolius anni ſpatio ob præclaram indolem omnium amore, hic ob ſanguinis effuſionem, & mores Barbaros omnibus factus exoſus; ejuſque crudelitati primò ſuccumbunt Dertonenſes, mox Veronenſes, deinde Mediolanenſes: neque ab ejus furore immunes fuerunt Pontifices Hadrianus IV. Anglus * 1154
vir naturæ, & gratiæ dotibus celebris, ex imà Parentum fortunà ad dignitatum apicem ſuis virtutibus vià ſibi ſtratà; inter adverſitates imperterritus, Romam interdicto ſubmiſit, ubi Arnaldiſtæ Senatus auctoritatem reſtituere contra jura Pontificis contendebant. Guillelmo Siciliæ Regæ, Eccleſiæ bona uſurpante anathemate innodato, Federici Imperatoris adverſis conatibus ſeſe oppoſuit. Cæſaris

furorem etiam experitur Alexander
1159 III. Senenſis * contra quem Federicus antipapæ Victoris cauſam promovet, deinde Româ obſeſsâ, fugâ à Pontifice arreptâ, Victori antipapæ defuncto Caliſtum ſubſtituit. Mox Federicus Româ Mediolanum reverſus, à Judæorum perfidia concitatus, univerſam Urbem uſque ad fundamenta di-
1163 rutam * ſale etiam ſuperſeminato penitùs abolere contendit, quam impietatem, & ruinam vindicaturus
1168 Alexander * Federici Subditos à juramento fidelitatis abſolvit; quapropter Germaniam repetere coactus, ſtatim nuncium accepit de factâ confœderatione 25. Urbium Italiæ, ut iterum Mediolanum excitarent. Interim Federici à Fidelium communione ſejuncti res in dies declinabant, quibus ut provideret, ſanius aſſumpſit conſilium ſeſe reconciliandi cum Eccleſia, & Pontifice tunc Venetiis degente, ad quem ſupplex profectus, humaniter acceptus, abſolutus dimittitur. A Federico Alemanno univerſa Germania Alemanniæ nomen deſumpſit in decem circulos à Maximiliano I. partita.

Op-

Oppugnante Sacerdotium Imperio, magis adhuc Eccleſiam anguſtiabant Hæretici Cathari, Valdenſes, & Albigenſes in Europa graſſantes, & Mauri in Africa irrumpentes, quibus ut obſiſterent Sanches II. Caſtiliæ, Alphonſus I. Luſitaniæ, Ferdinandus II. Hiſpaniæ Reges, primus 2270
* ordinem militarem equitum de Cal- 2272
latrava, Secundus * ordinem eque- 2276
ſtrem S. Michaelis, Tertius * ordinem equitum de Alcantara oppoſuerunt. Pontifex verò à quo prędicti ordines confirmati, ad compeſcendas refra-
ctarias Albigenſium cervices, Conci- 1179
lium generale Lateranenſe III. * indixit.

Nec ſola Albigenſium deliria ſimul, & hoſtilitates Eccleſiam tunc temporis infeſtabant, ſed Italiam præmebant Gibellinorum, & Guelforum excitatæ factiones, in quibus Sacerdotio, & Imperio decertantibus, qui ex parte Auguſti Gibellini, qui vero ex parte Pontificis Guelfi appellabantur; harum factionum, à quibus poſtmodum per aliqua ſæcula deſolata fuit Italia, diverſa ab Hiſtoricis ſtabiliuntur initia; à duobus fratribus invicem in Urbe Piſto-

ſtorienſi decertantibus, quorum uni nomen Guelfus, alteri Gibellinus, ſunt qui autumant ſuum habuiſſe exordium. Alii nomen Guelfus corrupto idiomate idem reſonare ac *cuſtos fidei*, nomen Gibellinus idem ſignificare ac *ductor belli* aſſerentes, ideò Pontificios Guelfos, Cæſareos verò Gibellinos nuncupatos fuiſſe aſſeverant. Quidquid ſit de nomenclatura: certum eſt has factiones tempore Gregorii IX. circa annum 1228. fortius invaluiſſe.

Multas etiam patiuntur adverſitates ſub Federico Lucius III. Lu-
1181 cenſis * & Urbanus III. Mediolanen-
1185 ſis * non paulò poſt ob captam à Saracinis Hieroſolymam mærore conſumptus. Ad hæc damna terræ ſanctæ à Saracinis illata reparanda, ex-
1187 citat * Gregorius VIII. Beneventanus Catholicos, cui pio ſenſui inhæſit
1188 Clemens III. R. * ejuſque ſecundo pontificatus anno gaudet orbis ca-
1189 tholicus de partâ * per Federici Eccleſiæ reconciliati exercitum contra Saracinos victoriâ. Sub Federico ordo Theutonicus, cui ſolum adſcribuntur ex primario Germaniæ Principum

cipum ſanguine progeniti, ſua novit initia.

Fatis cedit Federicus, & crudelem moribus patrem crudelis ſequitur Filius * Henricus V. *Severus* an- 1190
tonomaſticè dictus, à Cæleſtino III. unà cum Uxore Conſtantià, Rogerii utriuſque Calabriæ Regis filià, Romæ Imperiali Coronà redimitus: Contra Tancredum Siciliæ uſurpatorem inſtructo exercitu Neapolim, deinde Panormum expugnat, ejuſque ſeveritati ſuccumbunt poſt Richardum Angliæ Regem, contra jus gentium captivum ductum, Panormitani. Tanta fuit Henrici ſævities, ut ipſi uxori facta intolerabilis, eandem contra virum excitaverit, quem diù in arctà cuſtodià voluit obſtrictum, donec mitiorem obſignans mentem, libertati reſtitutus contra Turcas prælium molitur, ſub quorum iugo gementibus captivis Catholicis, ad eorumdem redemptionem *à S. Jo: deMatha inſtituitur Tri- 1197
nitariorum ordo, cujus profeſſores implent charitatis præceptum, docens unicuique animam ſuam ponere pro amicis ſuis. Mirabile chari-

tatis inſtitutum pro redimendis captivis ſummis commendat laudibus
1199 Innocentius III. R. * ſummo inſignitus Sacerdotio. Etiam ſub Innocentio Carmelitæ, qui jam diù in monte Carmelo Eremitarum more diſperſi Deo famulabantur, Eliâ, ut
1205 aiunt, Parente, cænobiticam vitam* amplectuntur, inſtitutore Alberto Patriarcha Jeroſolymitano, à quo regulam ſuſceperunt, ab Oriente poſtmodum in Occidente diffuſam, ubi Imperium propter electionem Philippi Henrici fratris, & Otthonis IV. Saxoniæ Ducis in Cæſares, ſchiſma patiebatur; ſed prævalente Ot-
1209 thone, ab Innocentio Romæ * coronatur, cum primum Mediolani ferream coronam ſuſcepiſſet: ortis verò non paulò poſt inter Sacerdotium, & Imperium novis diſſidiis, Otthoni Innocentius anathema dixit.

Sub Innocentio contemporanei, ad orbis Catholici decus, & ſubſidium germinant duo inſignes ordines S. Franciſci & S. Dominici: ille paupertatis extremæ profeſſoris zelantiſſimi, hic per verbi Dei annuncia-

ciatores, Euangelii dilatandi ſtudioſiſſimi. Satim in utroque ordine floruerunt viri pietate, & ſcientià celeberrimi, inter quos magni nominis fuerunt S. Thomas Angelicus, Albertus Magnus, S. Bonaventura Seraphicus, Joannes Duns Scotus: à ſuis primordiis uſque ad noſtram ętatem, gemini ordines Ecelesiam pietate illuſtrant, ſcientià defendunt ab Hæreticorum cavillationibus, contrà quos congregatur * Concilium Lateranenſe IV. Concilio abſoluto, Imperialem coronam ab Otthone ſpontè dimiſſam * cingit Federicus Secundus Henrici VI. Filius, jam per biennium Pontificiam gerente Tiaram Honorio Tertio ex nobiliſſima, & antiquiſſima Sabelliorum familià, magiſterii ſacri Palatii Inſtitutore, ſub quo ad redimendos ab Infidelibus captivos, alius floret Ordo B. M. de Mercede, inſtitutoribus S. Raymondo de Pennafort & S. Petro Nolaſco, Jacobo I. Aragoniæ Rege inſtitutum promovente. Regalis hic Ordo quantę ſit utilitatis Eccleſiæ, quotannis celebrant ab ejus inſtituti Profeſſoribus captivi

1215

1219

vi, priſtinę libertati reſtituti.

Regularium Ordinum, quos approbaverant Honorius, & Innocentius, glorioſos Inſtitutores, Sanctorum albo adſcripſit Gregorius IX.
1227 * qui dum de Catholico exercitu in Paleſtinà contra Turcas triumphante congaudet, non paulò poſt condolet Balduino Imperatori Conſtantinopolitano à Regia Urbe Gallias
1238 * proficiſcenti, opem imploraturo contra Saracinos à S. Ludovico, cui ſpineam Chriſti coronam obtulit, cum ſacram Lanceam, & Spongiam jam ad Venetos tranſmiſiſſet, quorum ſubſidiis militaribus Gręcorum exercitum Regiæ urbis obſidem expulerat.

Gregorio Cæleſtinus IV. Medio-
1241 lanenſis * vix datus ereptus ſufficitur, & ſede ad annum & menſes octo vacante, Innocentius IV. Ge-
1243 nuenſis * Pontifex ſalutatus Cardinalibus purpureum deferendi Galerum facultatem indulſit in Conci-
1245 lio Lugdunenſi * præſide ipſo Pontifice congregato, aſſiſtentibus cum numeroſo Epiſcoporum cætu Patriarchis Conſtantinopolitano, &

An-

Antiocheno, Balduino II. Orientis Imperatore, & S. Ludovico Francorum Rege. Hoc in Concilio Federicus II. tamquam Eccleſiæ hoſtis declaratur, & contra Saracinos expeditio ſacra decernitur, cui ſupremus Ductor S. Ludovicus præficitur. Tanti Regis anxietas pro redimendà ab Infidelibus Paleſtinà, qualis, & quanta fuerit nemini non perſpectum, quandoquidem ad hanc cauſam promovendam regnum, & vitam ipſam expoſuit. S. Regis zelum vehementer accenderat Tartarorum immanitas, qui anno præcedenti copioſum Chriſtianorum ſanguinem in Urbe, & circuitu Jeruſalem effuderant. Valido ſtipatus exercitu Rex pientiſſimus ſacram
expeditionem * aggreditur. De Sa- 1248
racinis captà Damiatà *triumphat, 1249
iterato Saracinos debellat, * quo in 1250
conflictu Robertus S. Ludovici Germanus pro Chriſto viriliter decertans glorioſè occubuit eodem anno, quo Federicus Chriſti gloriæ perſecutor miſerè ſuffocatur. Invaluere ſub Federico irreparabili Italiæ damno Guelforum, & Gibellinorum pugnæ

gnæ, fomentum miniſtrantibus inter Federicum, & Pontificem diſſenſionibus, propter quas ſub triplici Pontifice Federicus, triplici de cauſà excommunicatus, utpotè bonorum Eccleſiæ uſurpator, & de fide malè ſentiens, & cum Saracinis ſeſecretò conſentiens, Imperiali dignitate exauthoratur: in ſua nihilominus pertuicacia obduratus, poſt ductas ſex ſucceſſivè Uxores impenitens deceſſit.

Vacanti Imperio plures inhiant,
1252 quo in interregno initium habuit* Societas Civitatum, quæ à Germanicà voce Hanſa, Hanſeaticæ ſunt dictę. Friderici filius Conradus IV. patris veſtigia proſſequens Pontifici obſiſtit, Siciliam, Neapolim, & Italiam crudeliter vexat, à Manfredo ejus Fratre naturali, & Patricida veneno infectus, malè partum Imperium, malè geſtum, peſſimè dimiſit
1254 miſit* cum Alexander IV. Innocentii III. & Gregorii IX. Nepos pontificatum aſſumit. Lugebat hac tempeſtate Italia, in Guelfos, & Gibellinos diviſa civilium ubique bellorum deſolationes. Lugebat Gallia Regem

gem ſuum Ludovicum inter Compedes à Saracinis obſtrictum, Lugebat Germania interregnum protractum, quod non niſi calamitatum eſſe conſuevit feraciſſimum, itaut per totam Europam non niſi calamitates obviæ haberentur. Solus Michael Palleologus, primus, qui poſt pulſos Imperatores latinos iterum regnavit ex Græcis, tot inter mærores lætabundus, iterum ſuę dominationi Conſtantinopolitanum ſubmittit Imperium, ad annos 58. Latinis Imperatoribus, quorum primus fuit Balduinus Flander, poſtremus Balduinus Secundus, conceſſum. Michael itaque pulſo Balduino Secundo victor Biſantinam Urbem triumphantis pompà * ingreditur. *1261*
Sed ut in triumpho inſignis pietatis ſpecimen exhiberet, ſuper triumphalem currum B. M. V. à S. Luca depictæ imaginem conſtituerat. Dum Virgini Matri in Oriente cultus ab Imperatore exhibetur, ad augendam erga Mariæ Filium ſub Euchariſticis ſpecibus devotionem in Occidente Urbanus Quartus * inſtituit feſtum *1262*
SS. Sacramenti, cujus ſolemnitatis mi-

mirabile, & piiſſimum officium S. Thomas compoſuit.

Urbanus Quartus Gallus pietate, ſcientia, & prudentia ſpectabilis, Eccleſiæ bona contra Manfredum uſurpatorem vindicaturus, Carolum Angioinum utriuſque Siciliæ Regem deſignat. Poſt triennium ab
1265 aſſumptione decędens * Clementem Quartum ſimiliter Gallum ſucceſſorem habuit, à quo ne reſpiceret ad carnem, aut ſanguinem, ſtatim cautum eſt, ne conſanguinei Pontificis Romam adventarent; fęlices Epiſcopatus qui ſortiuntur Præſules alienos à conſanguineorum affectu, vix invenitur mendicitas ubi in Epiſcopis non dominatur conſanguinitas. Beati Præſules, quibus caro, & ſanguis non revelat; ipſis conſonant Davidica Verba. Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero.

Alienum à conſanguineis ſe exhibuit Clemens quartus, qui pauperi nepti non plus qnam ſcuta ſexaginta errogavit in dotem, duabuſque Filiabus, quas è legitimo Matrimonio ſuſceperat, vix miniſtravit, quod ſufficeret, ut in Clauſtro

ſe

ſe Deo poſſent devovère.

Uberes produxit hoc ſæculum ſanctitatis, & ſcientiæ fructus: ſanctimonià enim celebres venerantur Dominicus, Franciſcus, Antonius, Petrus Nolaſco, Hyacinthus, Ludovicus Rex Galliæ, Thomas Doctor Angelicus, Bonaventura Doctor Seraphicus, Raymundus de Pennafort, Philippus Benitius, Albertus Carmelita, Ludovicus Toloſanus, Eliſabetha Ungariæ Regina, Hedvvigis Regina Poloniæ, Lutgardis, Clara, Roſa Viterbienſis, Margarita Cortonenſis, & plures alii Sanctorum faſtis adſcripti. Etiam cum Sanctitate floruerunt ſcientię in Italià, Germanià, Hiſpanià, & Gallià: ubique cellebres accademiæ inſtitutæ, nempe Viennenſis in Auſtrià anno 1239. Salmaticenſis 1240. Cantabrigenſis 1277. Neapolitana 1390., & inter omnes magis conſpicua Sorbonica hoc anno 1265. à Roberto Sorbona initio, & nomine accepto. Quoniam verò ſtudio addictis ob indeſeſſam librorum lectionem facilè eſt oculis laborare, ad eorumdem levamen Alexander

Spina

Spina conſpicillorum invenit ſubſidium, & optici tubi uſus innotuit.

Per tres circiter annos poſt Clementem Sede vacante, tandem inauguratur Gregorius X. Placentinus
1268 * eodemque anno, quo Gregorius Romæ Tiarà redimitur, Neapoli Conradinus Suevus Conradi IV. Filius, ſub ſecuri caput dimittit. Contigit autem Gregorii electio in primo conclavi ad Pontificem eligendum, S. Bonaventura hortante, Viterbii coacto. Deſſignatus Pontifex abſens erat ab electorum cætu; ſiquidem tunc temporis contrà Saracinos cum Eduardo Angliæ Regis filio in Syria decertabat, contrà quos Haytonus Armeniæ Rex Catholicæ Religioni dato nomine per annos 41. in bellis indefeſſis, pluribus re-
1272 portatis triumphis, ut de ſe ipſo glorioſius triumpharet abdicato Regno * Pręmonſtratenſem Ordinem profeſſus ſanctiſſimè occubuit. Ne
1274 tamen ob Haytoni à prælio, & mundo receſſum audaciores fierent Saracini, Gregorius in Concilio * generali XIV. Lugdunenſi II. iterum Chriſti fideles contra Turcas excitat.

In

In quo ſacro cætu etiam actum de ineunda Grecorum cum Latinis unione, de reformandà diſciplinà, & de methodo pro Romani Pontificis electione preſcribendà. Hæc ad Eccleſiæ incrementum zelus Pontificis, quo zelo dum fervet etiam Archiepiſcopus Lugdunenſis Sabaudus de Tarantaſià, verbi Dei annunciator egregius, Pontifex renunciatur *& Innocentii V. nomen aſſumit, 1276
eo fermè tempore, quo Rodolphus glorioſus Auſtriaci germinis ſtipes vocatur Auguſtus. Totis viribus Cæſar Germaniam ſtatim ſtuduit in pace componere; Bohæmià, verò & Auſtrià ſibi ſubjectà, filium Albertum Auſtriæ Ducem inaugurat.

Sub Rodolphi Imperio Roma octo ſalutavit Pontifices, nempe poſt Gregorium X., Innocentium V. eodem anno aſſumptionis è vivis ſublatum, Hadrianum quintum intrà menſem defunctum, Joannem XX.
*de ſtudio addictis benemeritum, 1277
Nicolaum III. * conſanguineis nimis 1278
propenſum, Martinum IV. * à con- 1281
ſanguineorum affectu alienum, Honorium IV. R. * erga pios, & ſcien 1285

 tifi-

tificos munificum (ſub cujus Ponti-
ficatu Florentini, Lucenſes, aliæque
1286 Italiæ Urbes * empta à Rodolpho
Cæſare libertate, magiſtratus elege-
1287 runt) Nicolaum IV. * Regularium
amantiſſimum, ſede poſtmodum va-
cante per biennium, quo in inter-
regno Turris Cremonenſis inter om-
1290 nes Italiæ Turres ſupereminens * à
Guelfis perficitur, & Romanorum
1292 Rex ſalutatur * Adolphus, qui poſt
plures bellorum anguſtias ſæculo ca-
dente deceſſit.

CAPUT XII.

1294 CÆleſtinus V. invitus * dignita-
tum apicem conſequitur ad
quam cum plures avidiſſimè inhia-
rent contendentium ambitio jam
ultrà biennium Eccleſiam paſtore vi-
duabat. Sed Pontifex ſolitudinis
amore captus, in quà jam ab anno
1270. Cæleſtinorum Ordinem fun-
daverat, Eccleſię regimini ſpontè
poſt quinque menſes nuntium mit-
tit. Fuit Cæleſtinus cultor eximius
Deiparæ, cujus ſacra domus in
Oriente debito cultu deſtituta, in
Eu-

Europam hoc anno Cæleſtino ſedente Angelorum miniſterio transfertur, ac primò in Dalmatia, mox Laureti in Italià conſidet, à loci nomine domus Lauretana poſtmodum nuncupata.

Cæleſtino ad ſolitudinem revertente, Pontificatum conſequitur Bonifacius VIII.; qui primus triplici corona tiaram circumdat. Inter Bonifacium, & Philippum pulchrum
Galliæ Regem * plures excitantur 1300
diſſenſiones, nec minora inter Pontificem, & Albertum Imperatorem inſurgunt diſſidia, quæ componere
re ſtuduit Benedictus X.* vulgò di- 1303
ctus XI. inter pontificiæ dignitatis gloriam adeo humilitati addictus, ut propriam Mátrem non niſi in abjectis veſtibus ad ſe adventantem excipere voluerit, cum primùm ditioribus, ſed ſuæ conditionis paupertati incongruis indumentis ornatam, ſibi obviam factam deſpexiſſet.

Italia tunc temporis pluribus erat agitata bellis, à quibus ut ſe ſubduceret Clemens V. Avenionem
*Pontificiam tranſtulit Sedem, quæ 1305
tranſlatio quantum fuerit Eccleſiæ

perniciosa nemini non notum. Infortuniorum præſagium fuit infauſtus eventus, per quàm in ipſius actu coronationis Pontificiæ Lugduni celebratæ, iubilum in mærorem convertitur, ubi à populi affluentia concuſſo pariete, ſub ejuſdem ruinis periere Joannes Britanniæ Dux, Gaillardus Pontificis frater, unà cum pluribus aliis dignitatibus, aut ſanguinis nobilitate conſpicuis, ipſo pariter Rege, una cum fratre vulneratis. Cæcidit etiam corona Pontificia; prætioſiori inter ruinas gemmà deperdita. Ad annos 70. Avenione poſtmodum incolæ fuerunt Pontifices, quorum primus Clemens V. ſuam ibi fixit ſtationem, ab Italis tanquam babilonicam captivitatem deploratam.

Viennæ in Galliis congregat
1311 Pontifex * Concilium generale XV. ubi ad trutinam errores Dulciniſtarum, Beguardorum, & Beguinarum revocanrur, & damnantur: nec non Templariorum equitum ordo ſupprimitur ob enormia ſcelera, de quibus accuſati fuerunt præfati ordinis equites; eodemque anno quo

in

in Galliis celebratur Concilium, Henricus VII. Luxemburgenſis Romę per tres Cardinales ad hoc ſpeciatim à Pontifice ſelectos coronatur, cum anno antecedenti unà cum uxore Mediolani Imperialem coronam cinxiſſet, quam morte correptus dimittit * dum Neapolim proficiſcitur.

Statim ad dignitatem cæſaream 1313
concurrunt Ludovicus Bavariæ Dux, & Federicus Alberti Imperatoris Filius, partito Electorum calculo, hinc indè Cæſares ambo inaugurati; ſed prævalente Federici factione hic Imperium, Bavarus Romanorum Regis titulum ſine re conſequitur. Dum ſciſſionem inter duos contendentes patiebatur Imperium, ſchiſmate concutitur ſacerdotium
ſub Joanne XXI. dicto XXII. * Ja- 1316
cobo de Oſſà Epiſcopo Portuenſi, cujus voto Cardinales per compromiſſum agentes, cum in unum haud quaquam convenire valerent candidatum, liberam reliquerunt Epiſcopo Portuenſi Pontificis electionem; hàc facultate ex unanimi Cardinalium conſenſu potitus Jacobus de Oſſà ſeipſum elegit dicens. *Ego*

ſum Papa, & Joannis XXII. nomen aſſumpſit, cui Ludovicus Bavarus Petrum de Corbario ſub nomine Nicolai V. oppoſuit.

Approbat Joannes ordinem equitum de Chriſto à Dionyſio Luſitaniæ
1318 Rege * tamquam fortiſſimum murum contra Mauros erectum. Ex quo videre eſt, quanta fuerit Luſitaniæ Regum religio, qui tot ordines equeſtres, ſummis etiam ærarii Regii expenſis, pro tutandà Fide Catholica promoverunt, ditarunt, ampliarunt. Regalis Bragantię domus ex inclito Gallię Regum ſanguine germinat. Sæculo ineunte 12. Alphonſi Regis virtuti ſuam debet Luſitania liberratem, quà diù ſub Maurorum tyrannide deſtituta ingemuit. Pietas, & Religio ſemper potiſſimum fuerunt Luſitaniæ Regum præſidium, & ornamentum: auri gemmarumque affluentià nemini ex ditioribus Monarchis impares, cum omnibus munifici, in omnibus Regalem redolent magnificentiam. Eccleſiarum ornamento, & ad ampliandam Religionem Catholicam in Evangelicorum Miniſtrorum ſubſidium, ſemper innatum habuerunt Regios profundere The-

re Theſauros, quibus verè Regiis prærogativis orbi univerſo ſpectabilem ſe exhibet Joannes V. fæliciter regnans .

Dum Luſitaniæ Reges de Chriſtiani nominis hoſtibus triunphant, Fidei incremento inſudant SS. Dominici, & Franciſci, verbi Dei Prædicatione alumni, & proprii ſanguinis diſpendio barbaras Tartarorum mentes Evangelio mitigare ſatagunt. Florebat hac tempeſtate ex Ordine S. Franciſci Joannes Duns Scotus Doctor ſubtilis, nemini in ſpeculativis cognitionibus ſecundus, Formaliſtarum Scholæ Princeps, quem ex peſte deceſſiſſe aliqui aſſerunt. Graſſante tunc lue, quam S. Rochus ſalutari Crucis ſigno fugabat.

Graſſabantur etiam tunc temporis Petro de Corbario adhærentes factioſi Schiſmatici, ſub protectione Ludovici Bavari, qui non modo Joannem à Pontificatu amovere nitebatur, ſed etiam diverſis in Præliis aggreſſus eſt Fridericum, ab Occidentali Solio Cæſareo expulſurus, dum Andronicus de Imperio Orientali * cum 1325
Patruo contendit. Has inter turbu-

 lentas

lentas vices, pacificè Solium Pontifi-
1334 cium conſcendit Benedictus XII.* Ec-
cleſiaſticæ Diſciplinæ reparandæ ſtu-
dioſiſſimus, poſt ſeptennium cum odo-
re Sanctitatis ad inamiſſibilem glo-
riam tranſlatus, Succeſſore Clemen-
1342 te VI. * à Petrarca tunc tempori vi-
vente dignis Pontifice economiis com-
mendato. Galliæ Regibus facultate
communicandi ſub utràque ſpecie
expeditâ, annum Jubilæi impoſterum
poſt quinquageſimum celebrandum
fore præſcripſit. Cæpit hoc anno
1342. peſtis crudeliſſima, quæ per
triennium in toto quaſi orbe ſæviens,
mediam ferè hominum partem con-
ſumpſit. Interim ab excitatis contrà
Pontificiam Sedem vexationibus Lu-
1345 dovico non recedente! eiuſdem mors
præſentibus anguſtiis finem imponit,
& Carolus IV. Joannis Bohemiæ Re-
1352 gis Filius ſub Innocentio VI.* vitæ,&
morum innocentiâ ſpectabili Impe-
1355 riali diademate * redimitur. Furebat
hoc tempore bellum inter Genuen-
ſes, & Venetos, quod vario ſucceſſu
per plures annos utramque Rempu-
blicam deformavit. Nihil intenta-
tum reliquit Innocentius, ut Euro-
pam

pam armis agitatam in pace componeret.

A Carolo IV. Bulla aurea ſancitur * pro pacifica Imperatorum electione. 1356
Pontificiæ etiam dignitatis obſequentiſſimum ſe exhibuit, quam * conſequi- 1362
tur Urbanus V. vir utique regimini Eccleſiaſtico factus, Epiſcopos ad reſſidentiam coarctat, pluralitatem beneficiorum condemnat, Eccleſiaſticos in habitu Clericali incedere præcipit, Bernabò Mediolani tyrrannidem exercentem, nec non alios in Italia Eccleſiæ jura ſibi arrogantes ſubmittit; & inſtante Romano Populo Avenione Romam * proggreſſus, ibique per bien- 1367
nium commoratus Italià ferè totà paci, & concordiæ reſtitutà, Avenionem revertitur, ubi ſanctitatis famà celebris hominem exuit. Gregorius XI. * ſtatim exaltatur, cun anno 1371
pręcedenti primus ex Stuartorum ſanguine Robertus Scotiæ ſolium conſcendiſſet, circà quæ tempora Caſimiro Magno ex Piaſtorum genere poſtremo è vivis ſublato, Ludovicus Hungarus à Polonis in Regem ſalutatur.

Propitius orbi Catholico, ſed pręcipuè

cipuè Urbi fuit Gregorii Pontificatus, ſub quo ordinaria Pontificis reſidentia, adeo ab Italis expetita Romę reſtituitur, rem promovente S. Catharina Senenſi: Fuit Gregorius Clementis VI. Nepos, Baldi juriſconſulti celeberrimi Auditor, Juſtitiæ vindex acerrimus, in quà exercendà, vindi-
1378 ctæ notam incurrit ejus Succeſſor *Urbanus VI. (Schiſma Roberti dicti Clementis VII. contra Urbanum, & ſucceſſive Petri de Luna) quo præcipiente quinque ex purpuratorum ordine ſibi adverſos immaniter unà ſimul in mari fertur fuiſſe projectos. Inter omnia ſchiſmata magis Eccleſiæ unitati infenſum preſens computatur, in quo tres debacharunt Pſeudo Pontifices, quorum magis duræ cervicis fuit Petrus de Luna dictus Benedictus XIII., hæc larva in Perpiniano Regni Valentiæ caſtro ſecedens, ibidem uſque ad annum 1404. egit Pontificem. Deteſtabile hoc Schiſma aditum reſeravit quæſtioni. *An Pontifex ſubſit Concilio Æcumænico*; tam autem poſſibile eſt Pontificem ſubeſſe Concilio, quam poſſibile eſt Paſtorem tranſire in Gregem, & Gregem tranſire in Paſtorem.

Dum

Dum Pontificium Regnum ſeverum nimis in Urbano VI. horret Pontificem; In Solio Cæſareo Sardanapallum ſe exhibet VVenceslaus, cujus memoria nonniſi opprobrium exhibet in Hiſtoricis monumentis. Ubi in Galliæ Regum faſtis omnibus commendatiſſimus laudibus vivit Carolus V. Sapiens nuncupatus, Anglorum terror, quos iteratò debellaverat,& veneno conſumptus * ſummo totius Re- 1380
gni mærore intelligitur. Præmaturam tanti Regis luget Gallia mortem, dum VVenceſlai diuturnum nimis Imperium deplorat Germania, tandem ob ſuos exceſſus à regimine abſoluti.

Hic non reticendum Ingeniorum ſemper feraciſſimam fuiſſe Germaniam, ad nova inventa mirabiliter producenda, inter quæ Bombardarum uſus à Bertoldo Nigro hoc anno eſt adinventus, quibus brevi proſternuntur ædificia, ad quorum conſummationem longa non ſufficit ætas: inter hæc commendatiſſimum eſt Templum Cathedrale Mediolanenſe poſt tria ſæcula ſupra dimidium incæptum * noſtra ætate nondum abſolu- 1386
tum

tum Gothicæ Architecturæ partus nobiliſſimus. Mirabile etiam Architecticæ Artis prodigium commendatur moles Adriana, à Bonifacio IX.
1389 * ad Pontificum tutellam occurrenti-
1398 bus in neceſſitatibus reſtaurata * cum Genuenſis Reſpublica ſuperbis nobilitata ædificiis, deſtrui cæpit domeſticis diſcordiis, à quibus ab anno præcedenti uſque ad 1528. miſerè agitatur, in quà annorum feriæ aliquando ſuis Ducibus, ter Galliæ Regi, ter Mediolani Duci, ſemel etiam Montisferrati Marchioni paruit licet reluctans.

1400 Celebrat * Bonifacius IX. magnum Jubilæum: jubilat Germania ob exaltatum ad Cæſareum Solium Robertum Bavariæ Ducem: Gaudet orbis Catholicus ob umiliatum Bajazetem de victoriis inſoleſcentem, qui à Tamerlano Tartaro, ex paſtore latrone, ex latrone militum ductore, & non paulo poſt Imperatore, & or-
1402 bis terrore victus * captus, in cavea ferrea incluſus, fit Aulicorum ludibrium, cum prius à Tamerlani exercitu duodecies centenis militum millibus copioſo, centum quadraginta mille

mille Turcas miſere trucidatos conſpexiſſet. Parthos, Sinenſes, Indos, Meſopotamiam, Ægyptios ſibi coegerat Tamerlanus tributarios; ubique victor ad Carolum VI. Galliæ Regem tamquam Occidentis potentiſſimum, in ſuæ erga tantum Regem obſervantiæ teſtimonium, ſuos direxit oratores. Copioſa Turcarum mactatio per Tamerlani exercitum facta, fuit quaſi præſagium inſignium victoriarum, quas in hujus proggreſſu ſæculi de Turcis retulerunt Hunniades, Vaivoda, & Batoræus.

Quarto currente hujus ſæculi anno * Innocentius VII. Sulmonenſis li- 1405
bertatis Eccleſiaſticæ vindex acerrimus Ladislaum Neapoli Regem cenſuris Eccleſiaſticis ſubjecit; Poſt biennium ſolvit debitum mortis, ſtatimque reviviſcit * Pontificatuî 1406
Gregorius XII. Venetus; quamvis Octogenarius Pontificalis gloriæ avidiſſimus, ægrè tulit, ſicut in electione promiſerat Pontificiæ Dignitati Nuncium dare pro Eccleſiæ pace, & pro tollendo de Papatu contendentium ſchiſmate. Nihilominus in Concilio Piſis congregato * cogitur Pon- 1409

 tifi-

tificatum dimittere, & aſſertionem ſervare, cui jurejurando ſe obſtrinxerat in electione, de abdicando ſcilicet Pontificatu quotieſcumque urgeret Eccleſiæ neceſſitas. Tiarà à Gregorio dimiſsà, eàdem redimitur Alexander V. liberalitate eximià celebris, ex divite Eccleſiaſtico factus Pauper Cardinalis, & Papa mendicus. Diverſis ab Alexandro compoſitus mo-
1411 ribus apparuit * Joannes XXIII. antea Balthazar Cozza, plus Regno, quam Sacerdotio factus, plus aptus bello gerendo, quam paci promovendę, coactus ſimiliter dignis de cauſis in Concilio Conſtantienſi à Pontificatu recedere. Conſpicuis tamen honoribus à Pontifice Succeſſore cumulatus.

Sanior fuit Electorum Imperialium Congreſſus, quorum vota in Si-
1411 giſmundum Caroli IV. Filium * collimarunt. Sigiſmundus venuſtate corporis, nobilitate mentis, dicendi gratià, Imperio gerendo nemini ſui ævi ſecundus enituit. Contra Huſſitas inſtructo prælio, Hungariæ Regno ſuæ dominationi aquiſito, pluribus, & glorioſis factus eſt conſpicuus nominibus,

nibus, quem dignis honoribus ad Concilium Conſtantienſe accerſitum receperunt Patres, indictum * pro 1414
tollendo trium de Pontificatu contendentium ſchiſmate, damnandiſque tunc grallantibus VViclefiſtarum, & Huſſitarum erroribus.

Dignum Imperatorem dum gratulatur Germania, dignum Pontificem in Martino V. * veneratur Eccle- 1417
ſia, à Conſtantienſi Concilio unanimiter electo, cujus ſolertià recuperatur Eccleſiæ * Bononia, poſtmodum 1420
à Bentivolis anno 1490. tyrannicè occupata, ſed non paulò poſt reſtituta. Uno excepto Aragoniæ Rege omnes Catholici orbis Principes Martinum V. in Legitimum venerati ſunt Pontificem, cui potiſſimum Carolus VII. adhæſit Rex Chriſtianiſſimus. Devaſtabant tunc Angli, ferè ubique triumphatores Galliam, in cujus Regni ſubſidium contigit * memorandum 1429
facinus puellæ Aurelianenſis Joanna de Arcu nuncupatæ, à quà ſub virili habitu decertante Angli Aureliani obſides fracti receſſerunt:

Indicitur à Martino Baſileenſe Concilium, quod cum Pontificis

mor-

morte præveniente nondum fuiſſet
1431 abſolutum, ejuſdem Concilii indictionem ratam habuit Eugenius IV. * Venetus, tàm in proſperis, quàm in adverſis unanimis, Gregorii XII. ex ſorore nepos. Propter contentiones, bella, & ſchiſmata omnia ſine ordine hoc ævo ſe habere videbantur; Diverſi nihilominus Ordines, tàm equeſtres, quàm regulares ad Eccleſiæ decus inſtituuntur. Inter Equeſtres conſpicuus eſt ordo Sanctiſſimæ Annunciationis in honorem tanti myſterii ab Amedeo VIII. Sa-
1434 baudiæ Duce fundatus, * & ordo S. Mauritii, cui ſub Gregorio XIII. adnexus fuit ordo S. Lazari; etiam ordo Equitum Velleris aurei ad quinquaginta Candidatorum numerum à Carolo V. ampliatum, hac tempeſtate ſuum in Hiſpaniâ habuit initium.

Inter Regulares verò Ordines, celebris eſt Minimorum Ordo S.
1435 Franciſco de Paula Fundatore, * qui perpetuæ quadrageſimali obſervantiæ ſuos aſſeclas addixit, & ut majus præberent in Eccleſia Dei humilitatis exemplum, *minimos* voluit

nun-

nuncupari. Humilitati addictiſſima vivebat etiam hac tempeſtate S. Franciſca Vidua, cujus exemplo ad Sanctitatem compoſitæ fuerunt plures Matronæ Romanæ, quæ mundi vanitatibus valedicto, conſtanter in aſſumpto perſeverarunt propoſito; dum mundi illecebris nimis implicita Joanna Regina Neapoli, ſui muliebris animi inconſtantiam promit, Alphonſum Aragoniæ Regem adoptans, mox mutatâ mente eo exhæredato Ludovicum Andegavenſem vocans ad ſceptrum, ex quo factum eſt bellum inter Gallos, & Aragonios, ſuccedente poſtremis Auſtriaco.

Interim Eugenius Baſilieenſe Concilium dignis de cauſis Ferrariam, poſtmodum Florentiam * 1438
declaravit eſſe translatum. Ubi actum de damnandis Græcorum erroribus, & de Græcis cum Eccleſia Latinâ conciliandis, aſſiſtente Concilio Græcorum Imperatore, qui unà cum Græcis Prælatis Latinæ Eccleſiæ ſeſe ſubmiſit, ejuſque exemplum amplexati ſunt Armeni, & Æthiopes, quorum Oratores Ro-

ma excepit. Quas inter lætitias non ſine mærore in conventu Gallicorum Epiſcoporum, Bituricis acto, pragmaticam ſanctionem promulgatam fuiſſe Pontifex intellexit. Fuerat tunc temporis Amedeus (ſchiſma ultimum) licet invitus in Ripaliæ ſolitudine penè orbi abſconditus ad Pontificatum electus à factioſis, & refractariis Baſileæ commorantibus Patribus; qui jam legitimè translato Florentiam concilio, obſtinati contra Pontificis mentem aſſerebant nondum Baſileæ diſſolutum eſſe Concilium. Ignorabat Amedeus has inter primates Eccleſiaſticos vertentes diſſentiones, neque Amedeo ſolitudini, & meditationibus intento conſtabat an Baſileæ, vel Florentię Eccleſiæ Præſules annuente Pontifice legitimè convenirent. Quapropter ad ſe adventantibus ex parte Baſileenſium nunciis, ut eundem Pontificem ſalutarent, facilè fuit Amedeo acquieſcere, & licet amore ſolitudinis captus reluctaret oblatam tiaram accipere, nihilominus ſuaſionibus factis magno Eccleſię damno futuram ejus reluctantiam, plus

ſcru-

ſcrupulis ex Oratorum Baſileenſium ſuaſionibus ingeſtis, quam genio Pontificiæ dignitatis ſtimulatus acquievit, & Felicis V. nomen aſſumpſit. Sed cum verum ac legitimum Pontificem præſidere in Eccleſiâ deperiit * abdicatis Pontificalibus in- 1442
ſigniis, ſuam iterum ad Ripaliæ ſolitudinem remeavit, ubi poſt piiſſimam vitam piiſſimæ obiit. Per hanc abdicationem dum Eugenius ſine obice triregno potitur, triplicem coronam, Hungariæ, Bohemiæ, & Romanorum aſſumit Albertus II. inſtructoque contrà Turcas prçlio ab Hungariâ glorioſè expulit. Sed captam non paulò poſt à Turcis Conſtantinopolim Federico III. Imperante lacrymatur Nicolaus V.* Euge- 1447
nio ſuffectus. Quâ de re mçrore conſumptus occubuit. Cum anno antecedenti ob deficientiam Prolis Philippo Maria Vicecomite nimium mærente è vivis ſublato, Franciſcus Sfortia Mediolanenſis Ducatus jura aquiſiſſet, Statim à ſuis exordiis cum Primariis Europæ Principibus domus Sfortia ſanguinis cognatione conjuncta reſplenduit. Galeatius enim

enim Sfortia Bonam Ludovici Sabaudiæ Ducis Filiam in Uxorem duxit, ejuſque Filiæ Anna Maria Duci Eſtenſi, & Blancha Maximiliano I. Imperatori deſponſatæ fuerunt.

Imperialem à Pontifice coronam ſuſcepturus Federicus urbem proficiſcitur, & in itinere à Nicolao
1451 Eſtenſi Mutinæ * magnificè ſuſceptus, Mutinenſem ditionem in Ducatum erexit. Eſtenſis domus ab Azone primo Eſte comite S. R. J. in Italià Vicario, Otthone I. imperante ſuam trahit originem circa medium ſæculi X. Mutina verò à tempore Julii Cæſaris facta Romanorum colonia, inter Italiæ urbes, jam ex tunc ſatis erat frequentata. Fredericus itaque Imperator coronatus ad 53. annum protraxit Imperium: vix in tot annorum ſpatio quid typis commendabile geſſit, quæ ſub
1452 ejus Imperio à Joanne Fauſtulo * Muguntiæ primò adinventæ fuerunt. Quamvis aliis malint à Joanne Guſtembergio Argentinæ anno 1440. Typographiam ſuum ſortitam eſſe initium. Certum nihilominus eſt nul-

nullum extare librum antè annnm 1452. impreſſum, primique libri Typis commendati fuerunt Auguſtinus *de Civitate Dei*, & Bernardus *de conſideratione*.

Federicus gravi morbo correptus ad reparandam penè actam ſalutem, in patienià multà cruris inciſionem ſuſtinuit; ſed in hàc multa patientia, de indolentià nimià jure cauſatur, quod contrà Mahometem II. Bizantinæ urbis invaſorem * Conſtantino XIII. ultimo Imperatori Græco armorum ſubſidium non irrogaverit, quapropter æternam hanc notam ſibi inuſſit, quod ejus inertià regnet Conſtantinopoli Mahometana perfidia, à qua in præfata irruptione 40000. Catholici interen pti, conculcatus in fugà Conſtantinus Imperator, deprædata Palatia, depopulatæ Eccleſiæ, & Virgines ipſæ militaris furoris victima factæ. Creverat propè in immenſum Græcorum impietas; ſiquidem Pater in filium, filius in Patrem, uxor in virum regnandi cupidine faſcinati, crudelia facinora patraverant. Vix ullum ſceleris genus eſt invenire

nire, quo plures ex Græcis Imperatoribus ſeſe non fædaverint, qua propter jam conſummatà eorum nequitià, irà Dei vindice, Græcorum Imperium extinguitur, & Mahometes II. ſibi primus ex Turcis Imperialem titulum arrogat, ampliato poſtmodum per Orientem & occiduum ob partas victorias Turcarum Imperio, adeò Religioni Catholicæ infenſo, ut ſemper Chriſtianæ Reipublicæ attentaverit ſubverſionem: ſed contrà tot ſæculi poteſtates Chriſtiani nominis inimicas pugnat ſola Dei providentia, quà auſpice ſæpè factum eſt non ſine prodigio ut unus pugnaverit contrà mille, & mille expugnaverint decem millia; ex quo magis, ac magis myſteriorum Orthodoxæ fidei elucet veritas tot comprobata miraculis; inter
1454 quæ celebre patratur * Taurinorum Auguſtæ, dum in publico foro hoſtia conſecrata, quam furtim in Delphinatus paræcia latrones unà cum pixide ſacrilegè depredaverant, è pixide reſiliens in ſublime fertur radiis circumſepta, & ad preces Epiſcopi (ex Romagnana familia in-

inter ſubalpinas ſpectabili) cleri, frequentiſque populi, in ſuppoſitum ab Epiſcopo Calicem deſcendit.

Federici indolentiam in reprimenda Turcarum audaciâ excutit Callixtus III. Hiſpanus * & contra 1355
Turcas facta expeditione Mahometis ſuperbiam propè Belgradum orante S. Joanne à Capiſtrano, Hunniade præliante, ingenti partâ victoria compeſcuit. In cujus triumphi memoriam Pontifex Dominicæ Tranſfigurationis feſtum inſtituit; ſed Turcæ armis iterum potenter inſtructi, ad reparanda priora damna ſub Uſum-Caſſano Perſide potiuntur. Cum Didacus inermis Canarias inſulas Evangelio acquirit. Dictæ ſunt etiam Canariæ inſulæ *fortunatæ*, quæ ſolum ab anno 1406. Hiſpanis innotuerant.

Partam à Calixto contra Turcas victoriam proſequi meditatur Pius II. ad tiaram * aſſumptus, ſed 1458
morte præventus meditatæ conſummationis finem videre non valuit. Diverſis ſenſibus Paulus II. * ad 1464
ſummi Pontificatus pervenit faſtigium, à quo purpureæ veſtes Cardina-

dinalibus conceſſæ plus, propriis ſiquidem commodis ſtuduit, quàm Eccleſiæ incremento, cui tota an-
1471 xietate inhæſit Sixtus IV. * Catholicos Principes ſedulò contrà Turcas excitatus. Jubilęum poſt vigeſimum quintum annum poſthac celebran-
1475 dum decrevit. Dum in * Urbe celebratur ſolemne Jubilæum, Angelorum jubilo excipitur in cælis S. Simeon puer Tridenti a Judæis ſęviſſimè mactatus. Plures etiam ex ordinibus SS. Dominici, & Franciſci à Turcis pro Chriſto immaniter jugulantur, quà fælici ſorte digni efficiuntur 800. cives Hydrontini unà cum Archiepiſcopo à Turcis coronati martyrio. Floruit circà hæc tempora ſanctitate clarus Amedeus Sabaudiæ Dux, cujus ditioni confines ſunt Rethii à quibus ſtabilitur fęderatio, jam ab anno 1424. ſuum ſortita initium. Recenſentur etiam hac ætate Ducatus VVittembergenſis initia, cum Luſitani Braſiliam Americi Veſpucii induſtrià Luſtratam occuparunt, ſub Pontificatu Inno-
1489 centii VIII. Cybo * cujus ſolertià inter Urſinos, & Columnas vertentes dil-

diſparitates compoſitæ: Innocentio annuente cæperunt Ferrerii fieri Maſſerani Dinaſtæ.

Qualem verò Pontificem ſe exhibuerit Alexander VI. Hiſpanus * 1492
varia eſt inter ſcriptores opinio, quem diverſis vitiis obnoxium alii fecere, alii innocuum defendunt. Claudit hoc ſæculum in regimine Imperii Maximilianus unanimi electorum calculo * ſalutatus Auguſtus. 1493
Sequenti anno Navarrus nitrato pulvere primus replens cuniculos * ſclo- 1494
petorum factus eſt adinventor. Hoc anno, alii verò & probabilius aſſerunt anno 1497. Indi Orientales per Vaſcum Gamma Luſitanum ſuperato bonæ ſpei promontorio innoteſcunt, cum jam quinquennio prius à Chriſtophoro Columbo Ligure novus orbis fuiſſet detectus. Quo facto experientia ſolvit adeò agitatam per tot ſæcula queſtionem, an inter antipodes ignotis gentibus Sol oriretur. Europæorum notitiæ dum novus naſcitur orbis, orbi Litterario * occidit fulgentiſſimum ſidus Joannes Picus Princeps Mirandulanus, qui ætatis annorum 33. pęnè

omne ſcibile ſcivit, quem monſtrum ſine vitio appellare conſuevit Scaliger. Horum Principum familiam à Conſtantino magni Conſtantini filio ſunt qui aſſerant ſuam trahere originem. Certum eſt jam à pluribus ſæculis magni nominis in pace, & bello, ex hàc Sereniſſima ſtirpe floruiſſe Principes, inter quos pietate, & ſcientià conſpicuus noſtro ævo fulget in Purpuratorum Collegio Ludovicus Cardinalis Piccus Albanenſis Epiſcopus.

CAPUT XIII.

SUmmis fit obnoxia in hoc ſæculo calamitatibus catholica Religio, contra quam exerunt cum perverſis doctrinis, & gladium phanatici, Luthero, Zuinglio, Calvino, pluribuſque aliis ejuſdem peſtiferi furfuris rebellionem promoventibus. Opportunè ad hæreſes interimendas hujus ſæculi initio B. V. imploratur Patrocinium: & mos pius ſalutationis Angelicæ in meri-
1500 die repetendæ à Pontifice inſtauratur. Morte præventum magnæ expectatio-

tionis Pontificem eodem anno * ele- 1503
ctionis Pium III. Senenſem ſubſequitur Julius II. à quo Roboræi Urbini Duces præficiuntur. Hic hæroicà magnanimitate conſpicuus initium dedit Concilio * Lateranenſi V. 1512
contra conciliabulum Piſanum, ſed Julio fatis cedente, Leo X. Medicæus * tiaram aſſumit, & Concilium 1513
à Julio incæptum abſoluit. Concordato vice pragmaticæ ſanctionis à Leone cum Galliæ Rege concluſo, diſcordantem in Germanià ab Eccleſià Lutherum, novis invectis doctrinis Pontifex apprehendit. Novas etiam ſciſſiones audit Molientem Zuinglium. Has inter Anguſtias Hadrianus VI. quondam Caroli V. præceptor * Eccleſię cathe- 1522
dram conſcendit, non modicum præceptoris exaltationi contribuente diſcipulo, qui jam per triennium gerebat Imperium, à Solimano II. præ victoriis inſoleſcente vexatum; quapropter catholicorum dolorem ab hæreticorum inſolentià gravatum non modicum auxit, Albæ græcæ, vulgò Belgradum, & anno ſequenti Rhodi expugnatio, facta per dictum

Solimanum II. à quo etiam Buda poſt ſeptem annos capta, & Vienna audacter obſeſſa, ſed Deo dante à Solimano non minori ignominiâ, quàm detrimento dimiſſa. Nihilominus audacior factus Solimanus inito cum Piratâ Barba Roſſa fædere, Tuneti Regnum ſibi ſubjecit, à quo per Carolum V. fuit expulſus.

Aſpera fuerunt inter Carolum V. & Franciſcum I. Galliæ Regem iurgia, & bella, ſæpè inter utriuſque exercitum actum eſt prælium, in quo tandem Ticini Franciſcus ſuccumbit, & in Hiſpaniam captivus traductus, non niſi duris ſub conditionibus poſt tredecim captivitatis menſes libertati reſtituitur. Etiam cum Clemente VII. habuit Carolus V. diſſi-
1523 dia * in quibus detrimentum pati-
1527 tur Roma à Cęſareis militibus * deprædata, quà in hoſtili irruptione ipſe Pontifex pluribus fuit calamitatibus obnoxius.

Dum hujus irruptionis incomoda Roma patitur, & à Cæſarei exercitus furore Eccleſiæ Primates ludibrio habentur, contempto Eccleſiaſticæ Dignitatis honore; aliis in Ita-

liæ

liæ Urbibus aucto dignitatis titulo Principes familiæ à Cæſare condecorantur, inter quas Fridericus Gonzaga Mantuę Ducis titulum * Carolo V. annuente aſſumit, cum jam per plura ſæcula hæc Familia in Mantuæ ditione principaret. Eodem anno Laurentius Cybo Maſſæ Cararienſis Dux conſtituitur, quam ditionem jam ſub Otthone I. ejus proavi acquiſierant, qui à Magni nominis Duce ſub Belizario militante ſuam trahunt originem. 1530

Secuto tandem inter Imperatorem, & Pontificem Bononiæ * colloquio, viſa eſt reſpirare Roma ad quam cum Orbe Cattholico regendam * ſummum implet Sacerdotium Paulus III. Farneſius, qui cum Parmam, & Placentiam Aloyſio Farneſio donaſſet, Camertum Apoſtolicæ Sedi reſtituit. Petrus Farneſius hujus nominis primus anno 1099. Dux Pontificiæ Militiæ, plures habuit ex ſua ſtirpe in eàdem dignitate Succeſſores. ſtuduit etiam Pontifex Cæſarem, & Galliæ Regem componere, ut Tridenti Generali Concilio poſſet aditus reſerari, ſub quatuor Pontificibus 1532 1534

prorogatum fuit Concilium, ope S. Caroli Borromæi ſub Paulo IV. concluſum.

Jam ab anno 1524. novam Clericorum Regularium militiam, Theatinorum ſcilicet, Paulus IV. in Dei Eccleſiâ excitaverat, quæ pluribus in hoc ſæculo cumulata fuit regularibus inſtitutis, nempe Capucinorum anno 1525. S. Franciſci regulam ad litteram profitentium; Clericorum Regularium de Somaſcâ anno 1531. juventuti educandæ ſedulò incumbentium; Clericorum Regularium S. Pauli anno 1533. à prima Eccleſiâ S. Barnabæ Sacrâ, quam Mediolani frequentare cæperunt dicti Barnabitæ; Societatis Jeſu S. Ignatio de Lojola protoparente anno 1534., cui reformationem morum partim debet Orbis Catholicus ob Exercitia Spiritualia à S. Ignatio propagata, in quibus fuerat à Joanne Clanonio Monacho Benedictino in Monaſterio Monſerratenſi primo ſuæ converſionis anno, quo inter Monachos Benedictinos delituit inſtructus, ſicut teſtatur Menologium Benedictinum.

Flo-

Floret etiam in hujus ſæculi meditulio ſcilicet anno 1550. Congregatio Oratorii, Inſtitutore S. Philippo Nerio propter emolumenta ſpiritualia, quæ ab eàdem Fideles recipiunt commendatiſſima, nec non propter aſſumptam Provinciam ſcribendi annales Eccleſiaſticos, quorum Parens eſt Cardinalis Baronius. Reformantur Carmelitæ Inſtitutrice S. Thereſia anno 1568., per quam veterum Carmelitarum Spiritus reviviſcit. Inſtituuntur Patres Doctrinæ Chriſtianæ anno 1571. catechiſmi explanationi addicti. Fundatur ordo charitatis anno 1572. à S. Joanne de Deo in Charitatis exercitio erga Infirmos indefeſſus; ſicuti indefeſſi erga ſpiritum extremum agentes ſunt Profeſſores inſtituti Miniſtrantium Infirmis, quod etiam propè hæc tempora ſuum ſortitur initium.

Tot Inſtitutorum Regularium, Divinâ auſpice Providentiâ, feraciſſimum fuit præſens ſæculum, in quo tot pullularunt hæreſes, contrà quas per Ordines Regulares Religionis ampliandæ ſtudioſiſſimos, quaſi contraria Deus adhibuit medicamenta,

adeo verum eſt quod Deus dat cum tentatione proventum.

Nondum hàc ætate herbæ Reginę in pulverem redactæ, vulgò Tabaco uſus in Italià innotuerat, quem primus invexit ex Portugallia Nuntius
1550 ex Juſtiniana Familia hoc anno * quo Ulïſſippone Romam remeavit. Socium itineris habuit Galliæ Oratôrem, qui ſimiliter primus Tabaci uſum in Gallia propagavit, adeo nunc ferè omnibus familiarem, ut ex medicinà in diſpendioſiſſimum vitium pertranſierit.

Contra Inundantem in hoc ſæculo Hæreticorum torrentem arginem fecit Concilium Tridentinum, cujus ſeſſiones decem numerantur ſub Pau-
1550 lo III. ſex continuatę, ſub Julio III.* inter quem, & Paulum IV. ſedit per dies 27. Marcellus Cervinus vix datus ereptus, cujus doctrina, & pietas diuturnioris in eo Pontificatus deſiderium bonis omnibus reliquit. Interim bella, & perturbationes in Germanià ſubortę Concilii ſuſpenſioni
1555 locum dederunt ſub Paulo IV. * ob ſuas excellentes virtutes Romanis acceptiſſimo; Ab ejus Zelo Eccleſiaſticorum

corum Luxus moderatus, Hæreticorum licentia compreſſa, Judeorum uſuræ reparatæ, quos in unum collectos concluſit, flavoque Galero à Catholicis diſtingui mandavit. Mirabile eſt quod à Brentio Lutherano in Germania hoc anno * contigiſſe fertur, ubi Imago Crucifixi ab Hæreticis Lapidum ictibus petita ſanguinem fudit. 1556

Poſt decennium reaſſumit Concilium Pius IV. Mediolanenſis * novem ſeſſionibus expeditis abſolutum, jam imperante Ferdinando I. cum Carolus V. hujus vitæ inconſtantià pertæſus Imperium abdicaſſet anno 1555., & in Monaſterio S. Juſti in Hiſpania ſe recepiſſet, ubi poſt triennium diem clauſerat extremum. 1559

Debachantur interim Turcæ ſub Solimano II. qui ubique minarum ſpirans, & cædis, Maltenſem Inſulam aggreditur, ſed ab Equitum propugnantium virtute expulſus, ob ignominiam attentatæ in caſſum expeditionis mærore conſumitur. Proteſtantes etiam ex obtentà libertate conſcientiæ à Ferdinando I. mox à Maximiliano II. * invaluerunt. Sed 1564

dum in Occidente ſub Hæreticorum
inſolentiâ gemit Religio, iterum
triumphat in Oriente nobili reportatâ
victoriâ ad Inſulas Echinadas orante
1566 S. Pio V. * qui ex Cardinali Epiſcopo
Montis Regalis, conſpicuæ in Pedemontio
Urbis, in Eccleſiaſticâ Diſciplina
ſub tali, ac tanto Paſtore compoſitæ,
vir verè Apoſtolicus ad Apoſtolatum
vocatur: cumque ad Sexennium
Eccleſiæ univerſali præfuiſ-
1569 ſet, & Coſmum Medicæum * aucto
tituli honore Magnum Ducem appellaſſet,
ſanctiſſimè obiit, Pater Pauperum
nuncupatus, quo verè digno
Pontifice elogio meritò inſignitur
ejus Succeſſor Gregorius XIII. Bono-
1572 nienſis * à quo Kalendarium reformatum.
Huic Pontifici debet Genua
ſuam libertatem, poſt tot diſcordias,
& viciſſitudines tandem fæliciter firmatam,
quam ſub Solimano unà cum
1573 pluribus Provinciis * perdidit Arabia
fęlix, nec paulò poſt ſub Abdemeleco
amittunt Marochii, & Feſſæ inco-
1576 læ * tributarii redacti, cum Naturæ
ſoluit commune omnibus mortis tri-
1578 butum Maximilianus, ſuccedente * in
dignitate Cæſarea Rodolpho, Re-
gnan-

gnante in Gallia Henrico III. à quo
Ordo S. Spiritus inter Equeſtres ordines Gallicanos præcellens * inſtitui- 1578
tur, ad implorandum Spiritus S. Patrocinium contra Hugoniſtas inſoleſcentes.

Devaſtabat hoc ævo Orientales plagas contagium, Poloniam bella, Italiam fames, cum Sixti V. ad Pontificatum * ſublimati ſagacitate, pru- 1585
dentià, vigilantià, ſæculum aureum inter tot ærumnas Romæ viſum eſt refloreſcere. Bibliothecam Vaticanam nobilibus ornatam picturis aperuit, Obeliſchis, Statuis, Palatiis, Eccleſiis, Fontibus, novis etiam viis ſtratis Urbem ornavit, ditavit. Tantum lacrymatur Roma Patriæ Patrem, & Pontificem, qualem ſe etiam exhibuit * Urbanus VII. Mediolanenſis, 1590
paucis quibus regnavit diebus ſui magno relicto deſiderio. Quod etiam fari lubet de Gregorio XIV. * à quo 1591
Purpureus Pileus Cardinalibus Regularibus conceditur, & de Succeſſore Innocentio IX. Bononienſi quem vix datum mors præmatura eripuit.

Diuturniorem ſortitur Clemens VIII. Pontificatum * ſub quo congre- 1592

gatio de auxiliis inſtituta revocandæ ergo ad trutinam Doctrinæ de gratià, ad quam congregationem non niſi fuſis ante fores Vaticanæ Eccleſiæ nocturno tempore precibus conſuevit accedere. Sub hoc Pontifice * Fer-
1598 raria urbs celebris in antiquà Æmilià ſita Romanis ſubditur Pontificibus, acquiſito ab ipſis jure ſuper Ferrariam ratione donationis factæ à Principiſſa Mathilde. Sed jam à Vitaliano Pontifice anno 657. fuerat Ferraria amplificata, quæ anno 673. in oppoſitam Padi ripam translata Eſtenſibus deinde Principibus uſque ad finem ſæculi XVI. ſubdita, ſub Clemente VIII. Sedi Apoſtolicæ eſt devoluta. Hoc ſedente Pontifice perpetua quadragenarum horarum ſupplicatio Romæ eſt inſtituta, & Agnos cereos conficiendi Provincia Monachis Ciſtercienſibus Congregationis S. Bernardi eſt demandata. Agnos cereos benedicendi ante D. Gregorii Papæ tempora uſum in Eccleſià invaluiſſe certum eſt, quandoquidem legimus S. Pontificem ad Theodelindam Agilulfi Regis uxorem binos Agnos ex cerà dono tranſmiſiſſe.

C A-

CAPUT XIV.

PRoſpera apparuerunt Cæſari Rodolpho hujus ſæculi initia ob captam * undecim dierum ſpatio à Cæ- 1601
ſareis Albam Regalem. Sed quantum proſpera Cæſareis tantum adverſa Turcis ſæculi hujus fuerunt primordia, peſte enim diriſſimà, quæ etiam Londini in Angliâ furebat, Conſtantinopolim devaſtante, moritur * Mahometes III. qui inauditâ immanitate, 1602
ut tutius regnaret aſſumpto Regno 21. fratres ſuos extrangulari præceperat, patris Amuratis III. crudele ſecutus exemplum, qui ſimili morte, parique de causâ quinque ſuos fratres damnaverat. De partâ contra Turcas victoriâ Rodolphum gratulatur Clemens, cui ſuccedit * Leo XI. me- 1601
dicæus vigintiquinque dierum ſpatio ab electione vitâ functus, & Sacerdotio. Diutius in Pontificatu regnat Paulus V. Burgheſius, à quo ad augendam erga SS. Virginem Chriſtifidelium devotionem, in exquiliis magnificentiâ dignum Pontificiâ excitatur ſacellum, ubi Imago miraculoſa

S. Mariæ Majoris, à S. Luca depictæ aſſervatur. Eccleſia S. Mariæ Majoris in exquiliis jam à Liberii tempore paulò poſt medium ſæculi IV. cæpit à Chriſtifidelibus frequentari, cum nix miraculoſa die V. Auguſti in Monte Exquilio Eccleſiam deſignaſſet, Joannis Patritii ædificatam impenſis.

Cultum erga B. V. augendi ſtudioſiſſimus fuit S. Franciſcus Saleſius Sabaudus, gloria præſulum, ſupremo afflante ſpiritu omnibus omnia factus, Ordinis Viſitationis inter Clau-
1610 ſtrales Virgines commendatiſſimi * Inſtitutor, à Paulo V. aprobati, unà cum inſtituto Monialium Urſulina-
1611 rum * quæ ſub Regula S. Auguſtini militant, & præcipuè Puellarum educationi inſiſtunt. Augetur etiam Mariæ cultus in Orbe ex eo quod Marianis Inſulis à Patribus Societatis Jeſu Chriſtifides inſeritur; Auguſtiniani, & Carmelitani Excalceati in Perſide, Capucini in novà Franciâ Evangelium propagant, Theatini apud Georgianos amplificant, Dominicani in Sinis extendunt. Cum Mathias Ro-
1612 dolphi frater * capeſſit Imperium, ad quem Achæmetes ſolemnem Viennas

nas legationem * direxit, in quâ con- 1615
cluſo inter Turcas, & Cæſareos ad
annos viginti arniſtitio, quieſcente
armorum ſtrepitu, Mathias Ferdinan-
dum II. adoptat in Hæredem * & poſt 1617
ſeptennium ab Imperii aſſumptione * 1619
morte corripitur. Poſt biennium ab
ejus deceſſu * Gregorius XV. Ludo- 1621
viſius Pontifex inauguratur, Ordinem
Scholarum Piarum primò ſui Pontifi-
catus anno, Clericos Lucenſes Ma-
tris Dei * nec non Præsbyteros Miſ- 1622
ſionarios approbat. Per litteras con-
ſolatur Catholicos in Angliâ Reli-
gionis causâ vexatos ab Hæreticis,
quorum proterviam ſub Eliſabetha
Eccleſiam perſequente ad exceſſum
auctam compeſcere ſtuduit Jacobus
Stuardus Rex verè Catholicus.

Hæreticorum audaciæ reprimen-
dæ Urbani VIII. Barberini * per 1623
quem Cardinales Eminentiſſimorum
titulo condecorantur, Paſtoralis ſo-
lertia fuit proficua. Cardinales Bar-
berinæ proſapiæ ſemper ingenitum
habuerunt tanquam Apes argumen-
toſæ deſervire in Eccleſia Dei, plus
virtutibus quàm purpurâ Vrbi, &
Orbi ſpectabiles facti, qualem ſe exhi-
bet

bet Franciſcus Cardinalis Barberinus Sacri Collegii Decanus. Pontificis zelum in Propagandà Fide comprobat fundatum ab ejus munificentià Collegium in Urbe *de Propaganda* nuncupatum, cujus expenſis ad dilatandam per Orbem Terrarum Religionem Miniſtri expediuntur Evangelici, quorum ſtudio, vigilantia, & laboribus in Perſide, in Japonia, in Oriente, in Hollandia, in Anglia, aliiſque in Regnis à Fide Catholica alienis, quamvis in abſcondito in plurium cordibus ſervatur Religio Orthodoxa, quæ adhuc nunc temporis ſolum Londini, ut de aliis taceam Urbibus, & Oppidis ſupra 40000. Catholicos excipit. Urbs adeo conſpicua, ex quo Eccleſiæ Catholicæ, abdicatà Religione Orthodoxà facta eſt Rebellis, tragicos lacrymata eſt caſus. E converſo Ludovicus XIII. Religionis cuſtodiendę Zelantiſſimus, rebelles Subditos ad debitæ ſubmiſſio-
1628 nis jura reducit * Rupellà glorioſè expugnatà.

Mille erũmnis deſolatam bella præmebant Europam, quorum incomoda præcipuè ſenſit Mantua, à Cæ-

ſareis

ſareis ſubmiſſa * triduò à Militari li- 1630
centià vexata. Sed non minora patiebatur damna Germania, ubi Proteſtantes contra Catholicos feralem exercebant ſævitiem. Etiam Sinenſes bellico ardebant incendio, tandem poſt annos 20. continuati conflictus * à Tartaris domiti, ab ipſis enim 1642
Regia Peching capta, quà de re in deſperationem actus Sinarum Rex nubilem filiam obtruncat, ſe unà cum Regina laqueo ſuſpendit.

Janſenii adultera doctrina promulgata etiam in Galliis Calviniſtarum augebat factiones, quas poſt modum repreſſit Ludovicus Magnus
XIV. Regno * potitus ſub tutellà An- 1643
næ Auſtriacæ, cum quartum ætatis ageret annum; Ludovicus in omnibus magnus, in compeſcendis phanaticis, & Janſeniſtis fortis, indefeſſus, maximus fuit. Janſeniſtrarum erroribus evellendis, ut etiam pro ſuo munere occurreret Innocentius X.
Panphilius * quinque propoſitiones 1644
ex Janſenii libris extractas prohibuit. Compreſſa proindè, ſed non repreſſa Janſeniſtarum audacia. Sicut etiam per pacem Monaſterienſem inter Ferdinan-

dinandum III. Ludovicum Magnum ; & Svetiæ Regem concluſam, à perſecutione Proteſtantium modicum quievit in Germania Religio Catholica, ſub Tyranno Cronuello in Hibernia penè oppreſſa, nec non in totà ferè Brittannia, quam poſt abdicatam Romanam Fidem, inauditæ immanitatis Theatrum factam, non ſine horrore univerſus Orbis conſpexit, cum Carolus I. Angliæ Rex poſt 23. Regni annum, univerſo Populo perſonante, à Subditis morte damna-
1649 tus, Carnifici coronatum caput * miſerè obtulit.

Contra Monaſterienſis pacis articulos utpotè proteſtantibus pluſquam par eſſet conniventes, proteſtatus eſt Eccleſiæ Legatus Fabius Ghiſius Se-
1655 nenſis ſub nomine Alexandri VII. * ad Pontificatum aſſumptus, dum peſtis
1656 in Italia, ſed Neapoli * præcipuè, & Genuæ furens, miſerum omnibus exhibebat mortalis conditionis ſpectaculum; Quo excitatus Pontifex, ut in ſummæ dignitatis faſtigio humanæ fragilitatis memoriam frequentius excitaret; ſepulcrum vivens ſibi paravit; Chriſtinam Svecorum Reginam Reli-

Religioni Catholicę renaſcentem Romæ Lætabundus recepit in communione Romanæ Eccleſiæ, cujus tutelæ, & propugnaculo Leopoldus Ferdinandi III. Filius * plus pietate, *1658*
quàm dignitate Cæſarea mundo ſpectabilis ſalutatur Auguſtus. Leopoldo Imperante, in Sede Pontificià Orbi Catholico illuxit * Clemens IX. *1667*
Roſpiglioſus, Juſtitiæ vindex acerrimus, à Conſanguineis ditandis alienus, eoque fatis cedente dignum ſe Patriæ Patrem exhibuit Clemens X. Alterius *; ſtuduit ſtatim Clementiſſi- *1670*
mus Pontifex Romanum Populum à pluribus gravaminibus Cameralibus exonerare.

Flumina inundantia, terræmotus ingentes, annonæ penuria, bella ſæviſſima multo fuerunt Europæ, & Religioni hoc ævo detrimento; ad cujus ſubſidium pietate inſignes exhibuit providentia Pontifices, inter quos æterna dignus memorià recolitur Innocentius XI. Odeſcalcus * ejuſque precibus præcipuè ad- *1676*
ſcribenda victoria, quam de Turcis Viennam obſidentibus reportavit Leopoldus, (ad quam obtinen-
dam

dàm præſtò fuit invictà conſtantià Joannes Sobieſchi Poloniæ Rex invictiſſimus. Victoriæ fructus fuerunt
1685 * capta Buda, & Hungariæ Regnum Cæſareæ dominationi ferè totum ſubmiſſum, quod ægrè ferentes Tur-
1687 cæ Mahometem * carceri mancipa- runt, ejus fratrem Solimanum II. ſublimantes ad Regnum, non modo bellis, ſed terræmotibus concuſſum; Smirnæ enim ex ingenti ter-
1688 ræmotu * periere 40. hominum millia, ſimiles calamitates poſt quinquennium patitur Scicilia cum ferè 100000. homines diverſis in urbibus, & pagis vivi fuerunt inter ruinas ſepulti.

Quieſcentibus verò contrà catholicos ab armorum incomodis Turcis; nova inter ipſos catholicos excitātur bellorum fomenta, Allemania proinde contra Galliam, Galli contra Hiſpanos & Anglos, Sabaudi contra Gallos
1689 * currunt ad arma, quod ægrè ferens Pontifex Innocentius, dum paci promovendæ ſtudet, inamiſſibilem quietem conſequitur, & Alexander VIII. Otthobonus Pontifex ſalutatus ad ſedandas contentiones Theologicas, moreſque reformandos plures in ma-

in materia morali relaxatas propoſitiones proſcripſit, cum inter populares ſeditiones Anglia miserè vexata à Jacobo II. deficiens, ſub Auriano Principe religionem reformatam amplectens, moribus deformata apparuit.

Vix ſexdecim menſium curſum in Pontificatu abſoluerat Alexander, cum ſoluit debitum mortis, & ſummo reviviſcit ſacerdotio * Innocentius XII Pignatellus, Pater pauperum, quos in unum collectos ſuos declaravit Nepotes, & hæredes: pauperibus in omni artium genere inſtruendis non pepercit expenſis, totuſque pietatis operibus addictus, & Pacis in Europà promovendæ ſtudioſiſſimus, voti ſui compos efficitur, nam de conciliatà inter Gallos, & Saubaudos pace * nec non inita concordia * inter Imperium, & Galliam, inter Francos, & Anglos, inter Hiſpanos, & Gallos, inter unitas provincias, & Franciam gratulatur. Ludovicus Magnus de omnigena virtute ſemper benemeritus, pace compoſità, ad gratificandum probatum in Caſtris ſuorum

rum militum laborem, equeſtrem ordinem S. Ludovici inſtituit, cui adſcribuntur qui in Caſtris ſuam comprobarunt ſpiritu martiali virtutem.

CAPUT XV.

TAmdiu quievit ab armorum ſtrepitu Europa, uſque dum per Caroli II. Hiſpaniæ Regis
1700 mortem * Filippo Borbonio Duce Andegavenſi, & Carolo Auſtriaco pro Hiſpaniæ hæreditate contendentibus; iterum militaris licentia univerſam Europam infeſtat. Sed Monarchiam conſequitur Filippus V. Magni Ludovici fretus potentiâ, ductâ in Uxorem Victorii Amedei Sabaudiæ Ducis filiâ, cujus ſororem Filippi Frater Burgundiæ Dux ſibi deſponſaverat. Ambæ Sorores in primariis Europæ Regnis principantes, comitate, prudentiâ, pietate, quoad vixerunt ſuorum fuere Regnorum deliciæ. Filippus ut oppugnanti Auſtriaco obſiſtat, Carolus ut Andegavenſem ab Hiſpania expellat copioſos inſtruunt exercitus. Statim

tim reviviſcère mortalia bellorum incomoda, quæ ne renovata doleret Innocentius, è vivis eripitur. Dum tantum Pontificem ſibi ſublatum Roma lacrymatur, in Clemente XI. Albani redivivum congaudet. Hunc præſenciæ majeſtas, morum innocentia, dicendi elegantia, in rebus arduis gerendis prudentia, ſummo ſacerdotio à Deo factum fuiſſe omnibus perhibent; eò ſpectabiliorem Mundo ſuam exhibuit in Pontificatus regimine prudentiam, quo difficiliorem Provinciam gerendam aſſumpſit ſæculo ineunte tot calamitatibus obnoxio, inter quę in Apoſtolico munere infatigabilis vixit, & imperterritus, dum Urbs tota ingenti Terræmotu concuſſa * 1702
contremuit, eodem anno quo Cæſareæ militares copiæ in Italiam irrumpentes propè Carpium hoſtilitatibus fecerunt initium, contra quas Gallia, Hiſpania, Portugallia, Sabaudia confæderantur. Anglia ſub Anna Regina Cæſari adhæret, ſed Ludovicus Magnus in S. Germano Jacobum III. Jacobi II. Filium in Legitimum Angliæ Regem proclamat, cum anno

præ-

prȩcedenti Leopoldus Brandeburgenſem ditionem, ad eam ſibi devinciendam Regio titulo condecoraſſet. Mo-
1705 ritur Leopoldus * & Joſeph Primogenitus capeſſit Imperium, ejuſque Frater Carolus nunc fæliciter Imperans, ut Monarchiæ Hiſpanicæ jura ſibi vindicaret, Catalauniam profectus, Barcinonà potitur, Infeſtantibus Hun-
1705 gariam Tranſilvanis * qui Ragotio Hungarici Regni jura deberi contendebant, rebellionem fovente Acæmete III. contra Occidentale Imperium arma impugnante.

Plura hoc anno acta ſunt prælia. ſcilicet inter Suedenſes, & Saxones, inter Danos, & Gallos, inter Gallos, & Confæderatos, inter Cæſareos, & Gallos, poſtremis triumphantibus, & demum inter Sabaudos, & Gal-
1706 liſpanos Taurinum obſidentes * ubi profligatis à Victorio Amedeo Sabaudiæ Duce, & Principe Eugenio Sabaudi ſanguinis inclyto germine obſeſſoribus, ſtatim in totà Italià Aquila triumphavit. Vario nihilominus eventu aliis in Æuropæ Regnis re militari ſe agente, Carolus VI. Imperii regimen pro Fratre è vivis ſu-

ſublato * aſſumit. Ultrajecti deputatur 1711
congreſſus * ad componendos inter 1713
arma diſſidentium animos, & ad extinguendum bellorum ingnem, quo tota Europa jam per decennium ardebat. Majoris adhuc deſolationis timorem incutit jam à pluribus annis iterum excitatum per Queſnelium incendium Janſeniſticæ ſectæ, cujus flammis plures paſſim deperiuntur abſumi, ad quod extinguendum Pontifex omnem pro ſuo munere conatum adhibuit.

Novum calamitatis argumentum etiam exhibet in Italiâ dira Lues * 1714
quæ per quadriennium in Animalibus agrorum culturæ inſervientibus ſæviens, colonos ferè ad extremas redegit anguſtias. Interim Ultrajecti reſſidentes Plenipotentiarii, ut emergentibus in bellis pro bono pacis conſulerent tractatum edidere, quo pax concluditur inter Galliam, Anglos, & Sabaudos, Provincias unitas, & Portugalliæ necnon Pruſſiæ Reges, ſummo jubilo ab omnibus receptum, Cæſare nihilominus tractatui adherere reluctante. Inter Sancita in hoc tractatu Capitula Siciliæ Re-

1714 gno * Sabaudiæ Dux inauguratur: Sed Angliæ Reginà Annâ paulò poſt fatis cædente, nec non Ludovico Magno quàm imperterrito animo, tàm
1715 Chriſtianiſſimis ſenſibus * morti ob-
1718 viam facto, ſubortis diſſidiis * Siciliæ Regnum dimittit Victorius Ame-
1719 deus, & Sardiniæ Regno * potitur, cum cæpiſſet hoc anno Provinciam exagitare contagium, à quo ſupra 80. hominum millia Maſſiliæ ubi potiſſimum furebat conſumuntur.

Arduam ſatis gerebat Clemens XI. Summi Pontificatus Provinciam intet bellorum, & repullulantium hęreſum anguſtias, inter quas non modicum fuit ſolamen fauſtiſſimum Nuncium, quo Pontifex Principem Eugenium de Turcis in Hungarià fæliciter triunphantem propè Temiſvarum 17. Pontificatus ſui anno apprehendit. Inenarrabilis ſtatim lætitia in Urbe, & Orbe Catholico ex iteratà Turcarum profligatione ingeminat; ubique Deo exercituum referuntur grates; ubique profligatori Principi Eugenio reſſonant laudes, cujus martialem virtutem iteratis in conflictibus experti Turcæ, ad ſolum tanti Principis no-

nomen timere poſt hac didicerunt, contra quos etiam Reſpublica Veneta propè Corcirenſem Inſulam Deo opitulante prodigioſam concluſit victoriam, ſummò jubilo Romæ cellebratam. Hiſce fauſtiſſimis Nuncius Alleviavit Altiſſimus Pontificatus Sarcinam, quam vigeſimo primo Summi Sacerdotii ſui anno clemens depoſuit, integerrimis ſenſibus inſtante morte illa repetens Davidica verba: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me*. Poſt dies 40. à Clementis deceſſu * Innocentius XIII. de Comiti- 1721
bus inauguratur Pontifex: ingenita ſenſuum nobilitas ad Patriæ ſubſidium, Urbis decus, & Religionis incrementum in hoc Pontifice indiviſa illuxit; magno proindè ſui deſiderio relicto, poſt triennium mortem opetiit * & unanimès in Conclavi Ele- 1724
ctores, ſolo electo reluctante, Benedictum XIII. Urſinum Pontificem proclamant. Fęlicem utique Pontificatum ſub tam pio viro experta fuiſſet Roma, ſi à pietate Pontificis quorumdam Aulicorum ſenſus non diſſonaſſent. Satius utique Reipublicæ incremento

malum Principem bonis ſtipatum Miniſtris ſortiri, quàm ſub bono Principe malos Aulicos principare. Benedictus totus ſacris peragendis addictus, in Ordinationibus, in Conſecrationibus infaticabilis, Concilium
1726 Laterani celebrat * bis Beneventum ubi ſupra annos triginta Epiſcopalem impleverat dignitatem profectus, ut ſuos conſolaretur Diæceſanos. Regularem obſervantiam, quam a teneris annis in inclyto Prædicatorum ordine profeſſus fuerat, etiam cùm maximæ dignitatis faſtigio ſumma umilitate quoad vixit compoſuit.

Poſt Benedictum Urſinum Cle-
1730 mens XII. Corſinus * ad Thronum ſublimatur Pontificium, cui Roma debet plurium nobilium ædificiorum, quibus ornatur magnificentiam. Regnantem Pontificem Florentia genuit, cujujs magnus Dux Gaſto orbatus filiis, Mediceæ proſapiæ Ducibus finem imponit: hinc amatores pacis non ſine dolore jam diù præviderunt nova bellorum incommoda, quibus viam ſtravit Antonii Ducis Parmen-
1731 ſis * ſine ſobole mors præmatura, jam-

jamque aditum reſeravit Auguſti Poloniæ Regis * deceſſus. Cum verò 1733
Moſcovitæ Sereniſſimi Stanislai Leczinski pientiſſimæ Reginæ Galliarum Parentis, jam ſecundò in Poloniæ Regem inangurati ellectionem oppugnaverint, hinc jam diù latens contentionum ignis erumpit, & in universà Europà bellum accenditur, quod non niſi infauſtum ſuccumbenti Europæ, (niſi aliter Clemens Deus dederit) exitum minitatur. Maximumque divinæ ergà Catholichum Gregem opus eſt miſerationis, quod Turcæ contra Tartaros ocupati, non ſine ingenti Saracinorum næce exerceantur. Jam iterato prope Babilonem ſuccumbentes, cum invicem diffidentibus Chriſtianis Principibus, facilius poſſet Ottomana Potentia Orbi Catholico timorem incutere.

Inter hæc pullulantia Chriſtiano in Orbe diſſidia Moſcovia potenti exercitu Poloniam invadit. Galliæ Regi ob nimiam Sanguinis neceſſitudinem confæderatur Sardiniæ Rex Carolus Emanuel, & in Lombardiam milite ſuo ſtipatus irrum-

pens unà cum Gallis, primo Pezzi-
ghitonum caſtrum, mox Mediola-
1734 num, deinde Dertonam * brevi obſi-
dens, univerſum Ducatum ſubmittit.
Hujus invictiſſimi Regis martialis
virtus, primo quo aperto marte ar-
ma impugnavit anno, totius Euro-
pæ Principum ſibi conciliavit admi-
rationem, ipſiſque adverſantibus mi-
litaribus copiis, adeò eſt facta ſpe-
ctabilis, ut ejus virtutem ſupra fa-
mam eſſe ultrò profiteantur, ita ut
nemini ex ſuis glorioſiſſimis præde-
ceſſoribus magnanimitate, pruden-
tia, conſilio imparem eſſe ipſa pro-
bet experientia. In laboribus itaque
militaribus indefeſſus dum Rex Sar-
diniæ ſuum probat martialem ani-
mum, Rex Galliæ triplici inſigni
obſidione fæliciter abſolutà ad Rhe-
num triumphat. Etiam Philippi V.
Hiſpaniæ Regis Filius Carolus Bor-
bonus laboribus militaribus in tene-
ris adhuc annis ſe aptans, cum Hiſpa-
norum exercitu Neapolim proficiſci-
tur, Regnoque potitus, nulla pavens
brumalis tempeſtatis incomoda ar-
duum iter ſuſcipit Regiam Trinacriæ
conſecuturus ditionem; Sed fælicius
ina-

inamiſſibile Regnum aſſequitur * Clementina Subieſchi Magnæ Regina Brittanniæ, Religione in Deum, charitate in omnes, auſteritate in ſeipſam, morum integritate, & Sanctitate eximia, Clementis XII. munificentiâ Regio funere elata, cujus dum viveret Regalem Criſtianumque animum, morte inſtante impavidum hilarenque Roma ſuſpexit. Hanc virtutis heroinam, paucis ænte diebus ex terreno ad Cæleſte Regnum, ut piè credere par eſt, præiverat Polizzena Regina Sardiniæ, probitatis exemplo etiam juvenilibus in annis facta Mundo ſpectabilis, ob cujus deceſſum dum potentiores Europæ Reges, quibus ſanguinis neceſſitudine erat conjuncta, eorumque aulæ in mærore verſantur, prè dolore obſequentiſſimo Subdito hæc ſcribenti indicitur altum ſilentium. 1735

FINIS.

ERRATA CORRIGE.

Pag.	*Lin.*	*Lege.*
3		repetitis poſt 10. menſem
64	17	penetrans
80	23	ſenſuum
93	5	mutilatus
106	9	ſuffectus
129	3	oculorum uſu
151	1	interimitur
157	19	ſuſpicionibus
176	11	inauguratur
206	15	abſorpto

INDEX NOTABILIUM.

Spectabiliora.

Acies per aera. 203 156
Annus ſolaris. 56
Annus lunaris. 56
Annus julianus. 58
Aureus numerus. 57
Aparitiones funeſtæ: 187
Bulla aurea. 206 259
B. M. Imago in exquilliis. 278
Coloſſum Rodi. 60
Conſilium Barenſe. 220
Concilia omnia generalia quo anno, quà de cauſa, ſub quo Pontifice congregata fuerint ſuo loco indicatur.
Diluvium. 3
Diviſio Orbis. 5
Dianæ Templum. 13 65 91
Danielis hebdomadæ. 55
Diviſio Imperii. 139
Domús Lauretana. 242
Fabula de Joanna Papiſsâ. 191
Græca verſio. 65
Gladium in Cælo. 170

Gemini Soles. 203
Gibellini, & Guelfi. 229
Grando ſtupenda. 186
Homines latrantes. 156
Indictio. 58
Incendium. 154 107 120
Imago ſanguinem fondens. 182 273
S. Joſeph Tranſitus. 90
Luna cum pluvia. 136
Mauſoleum. 61
Mortui reſurrectio. 217
Papæ electio per compromiſſum. 245
Penſiones. 152
SS. Petri, & Pauli Martyrium. 99
Pantheon. 169
Pontificiæ aulæ Avenionem tranſlat. 243
Pragmatica Sanctio. 258
Peſtis immanis. 187
Pluvia cineris. 178
Pluvia ſanguinis. 191
Rivus ſanguinis. 151
Rubus ardens. 19
Seleucii amor. 66
Stellæ tres circa Solem. 113
Simonis præcipitium. 97
Temporum diviſio. 13 14
Templum Pacis. 101
Terra mugiens. 141 191
Terræmotus. 141 178 284

Titu-

Titulus Regis Catholici. 142
Veſpera ſiculæ. 69
Virg. Mariæ Tranſitus. 96

Nova inventa, vel induĉta.

AGricultura. 4
Ars Nautica. 4
Fabriferaria. 4
Aritmetica. 6
Aſtrollogia. 8
Arma. 12
Aqua luſtralis. 104
Aſperſio cinerum. 167
Agni cerei. 275
Bella. 6
Barbæ cultus. 105
Bombardæ. 251
Campanarum uſus in Eccleſia. 169
Cognominum uſus. 194
Codex Theodoſianus. 148
Conſpicilla. 249
Conclave primum. 249
Diei in horas diviſio. 14
Diplomata Pontificia quando plombo obſignata 171. *Incarnationis anno conſignata.* 215
Eminentiæ titulus. 279
Æs Corinthium. 76

Feudorum primordia. 196
Feſti Om. SS. inſtitutio. 186
Galerum purpureum. 234
Gentilitia ſtemmata. 198
Geographia. 32
Horrologia Solaria. 21
Machinalia. 158
Horarum 40. *ſupplicatio.* 276
Horarum diſtinctio. 169
Idololatria. 2.
Imperii Germ. initia. 196.
Indi Orientales. 265.
Jeroglphica. 15.
Jubilæum. 248 264.
Literæ. 2.
Literæ ancyclichæ. 113
Litaniæ Majores. 175.
Magiſterium S. P. 233.
Muſica. 4 12 212
Menſura. 15
Mutatio nominis. 188
Militia æqueſtris. 12
Mercatura. 15
Numiſmata. 15 42
Olimpiades. 35 36
Oratio funebris. 53
Organorum uſus. 173 179
Papirus. 66
Pictura. 6

Pon-

Pondus. 15
Poeſis. 19
Philoſophia. 48
Præceptum Paſchale. 114
Pſalmorum clauſula. 137
Purpureæ veſtes. 264
Pulvis nitratus. 265
Quadrageſima. 107
Rogationum inſtitutio. 175
Feſtum S. Sacramenti. 237
Salutatio Angelica. 266
Scriptura. 6
Simulacra. 5 14
Sericum opus. 164
Stationes. 167
Sternuentibus ave. 155
Superſtitio. 2
Tabaccum. 272
Tiara. 243
Torneamenta. 198
Tribunalia. 19
Tubus opticus. 240
Typographia. 260 264
Venatio. 4
Vinum. 7
Veſtes. Pontific. 103
Virgines vellare. 108
Univerſitates. 239

Regna Principatus.

ANglia.	110 285
Alemania.	228
Arabia.	14
Aſsyria.	4 47
Auſtria.	108 173
Bavaria.	210
Bohæmia.	188
Britannia	190
Braſilia.	264
Candia.	12
Chaldæa.	8
Danimarca.	192 217
Ægyptus.	5
Flandria.	181
Gallia.	147 174 181
Græcia.	50
Hiſpania.	142
Holandia.	189
Hungaria.	210 211
Latium.	50
Liguria.	198
Luſitania.	246
Monsferratus.	198
Moſcovia.	204
Paleſtina.	12
Perſia.	48 123

Polo-

Polonia. 208
Sabaudia. 207
Sardinia. 117
Saxonia. 184 206
Scotia. 142
Sicilia. 61 68
Sinæ. 7 47 281

Pontifices.

De omnibus Pontificibus nemine excepto fit mentio; ſpectabiliora etiam ab ipſis facta referuntur. Quà occaſione de Conciliis Generalibus de Schiſmatibus, & de perſecutionibus agitur.

Imperatores Reges Principes:

Alexander. 61 62
Alaricus. 141
Aſſuerus. 54
Adrianus. 106
Artemiſia. 61 64
Atthila. 149 150
Auguſtulus. 150 152
Arcadius. 140
Auguſtus Sax. 209
Arduinus. 212

An-

Andronicus. 247
Aurelianus. 125
Balduinus. 234
Boleslaus. 188 208
Beroldus. 206
Carolus. 177 180 182 183 267 273 282 286 288
Clodoveus. 147 154
Carolus Emanuel. 294
Chriſtina. 184 282
Ceſar. 86
Creſus. 49
Cyrus. 49
Coſtantinus. 132
Choſroas. 171
Conradus. 226
David. 28
Darius. 63
Decius. 120
Domitianus. 101
Diocletianus. 131
Eſther. 54
Eliogabalus. 115
P. Eugenius. 288 291
Faramondus. 147
Federicus Barbaroſſa. 227
Franciſcus I. 268
Fridericus Gonzaga. 269
Filippus V. 286
Gal-

Galba. 98
Guſtavus. 183
Godefridus. 222
Genſericus. 146 152
Hærodes. 87 89
Honorius. 140 144 146
Heraclius. 171
Henricus. 217 220 221
Julianus. 135 136
Jacobus Stuardus. 142 279 287
Juſtinianus. 159
Joannes V. 247
Joannes Sobieſchi. 284
Leopoldus. 283
Ludovicus Magnus. 281 285
S. Ludovicus. 235
Ludovicus XV. 148
Longobardi Reges. 163
Lottharius. 185
Luitprandus. 178
Ludovicus Bavarus. 247
Matthildis. 221
Mahometes. 262 277
Maximilianus. 265
Melchiſedech. 10
Mitridates. 78
Nabucodonoſor. 46
Ninus. 5
Nero. 97

Nico-

Nicolaus Eſtenſis. 260
Ottho. 99 206
Orangenſis Princeps. 190
Paleologus. 237
Pharao. 15
Petrus Farneſius. 269
Pipinus. 147 178 180
Phocas. 169
Piccus Mirandulanus. 265
Saba. 31
Salomon. 29 31
Semiramis. 6
Sardanapallus. 47
Sfortia. 259
Sygiſmondus. 254
Solimanus. 267 284
Tacitus. 127
Tamerlanus. 124 252
Tarquinius. 51
Tiberius. 89
Titus. 101
Trajanus. 102 104
Theodoricus. 155 156
Totila. 161
Theodoſius. 138 148
Valerianus. 123
Valentinianus. 150
Veſpeſianus. 99
Victorius Amedeus. 117 207 286

Vſſum

Vſſum Caſſanus. 124 263
VVenceslaus. 251
Zenobia. 118 126

Viri, vel Mulieres quacumque de cauſa ſpectabiles.

ADam. 2
Abel. 2
Abraham. 7
Aron. 20
Amazones. 20
Abſalon. 37
Apelles. 60
Ariſtoteles. 62 157
Annibal. 73
Antonius. 85
Albertus Magnus. 232
Brutus. 53
Baccus. 63
Beda. 174
Boetius. 157
Bellizarius. 159 161 164
Caſar Julius. 83
Cain. 2
Colombus. 264
Confuſio. 47
Cato. 73
Cleopatra. 84

Cicero. 85
Diagoras. 36
Eva. 2
Eſopus. 49
Eſau. 9
Euſculapius. 6
Eneas. 26
Epaminonda. 59
Exarchi. 165
Gainas. 140
Heber. 11
Homerus. 40
Herodotus. 56
Hercules. 63
Hipocrates. 59
Horatius. 82
Jacob. 9 13
Iſaacus. 9 15
Joſeph. 14
Joſue. 21
Juditha. 44
Judas Machabaeus. 77
Joſeph Judaeus. 102
Juvenalis. 106
Joanna de arcu. 255
Labam. 13
Loth. 9
Licurgus. 57
Lucretia. 51

Machabæi.	78
Martialis.	101
Marcus Agrippa.	87
Moyſes.	18
Mæcenas.	82 88
Mutius Scevola.	51
Narſetes.	163
Neptunus.	12
Noe.	3
Origenes.	121
Ovidius.	82
Orlandus.	181
Plato.	61
Plutarcus.	105
Pluto.	12
Prudentius.	141
Pithagoras.	56
Pompæus.	81 83
Plinius.	100
Rachelis.	13
Rebecha.	9
Sara.	9
Sampſon:	25
Saul.	26 28
Sethus.	2
Scotus.	233 247
Scipio.	74
Simmarus.	157
Solonus.	47

Suſan-

Suſanna. 45
Septem Philoſophi. 50
Socrates. 63
Tertulianus. 114 120
Tobias. 41
Triſmegiſtus. 14
Virgilius. 81
Xenophons. 59

Urbes.

Alexandria. 63
Antiochia. 63
Athenes. 17
Babilonia. 3 5 8
Bizantium. 134 261
Bononia. 32 255
Carthago. 37 70
Corinthus. 76
Damaſcum. 63
Delfis. 25
Epheſus. 33 91
Ferraria. 276
Florentia. 80
Gaza. 25
Genua. 80 198 252
Halicarnaſſum. 61
Henochia. 8
Jeruſalem. 10 98

Jeri-

Jerico. 21
Lucca. 214
Malta. 273
Mediolanum. 177 228
Mons regalis. 274
Mutina. 260
Ninive. 35
Neapolis. 169
Peching. 281
Rhodum. 36
Roma. 38 59 160 268
Sparta. 16
Sto Kolmum. 183
Taurinum. 166 262 228
Theman. 21
Thebes. 23 63
Troja. 21 24
Ticinum. 177
Tunetum. 70 268
Venetiæ. 145 176
Vienna. 268 283

Ordines Regulares.

AVguſtiniani. 144
Auguſtiniani diſcal. 144
S. Antonii. 218
Barnabitæ. 270
Canonici Regulares. 144

Cano-

Canonici Ref.	144
S. Ruffi.	144
S. Salvatoris.	144
Capucini.	270
Carmelitæ diſcalc.	271
Caſſinenſes.	162
Camaldulenſes.	206
Carthuſiani.	218
Ciſtercienſes.	219
Cong. S. Bernardi in Hiſpania.	225
Fulienſis in Gallia.	225
S. Bernardi in Italia.	225
Cæleſtini.	242
Cluniacenſes.	195
Clerici Regulares.	104
Clerici de Somaſca.	270
Clerici Matris Dei.	279
Cong. Oratorii.	271
Cong. Doctrinæ Chriſtianæ.	271
Charitatis.	271
Dominicani.	232
Eremitæ S. Pauli.	130
Eremitæ S. Auguſt.	144
Franciſcani.	232
Grandimontenſes.	144
Gilbertini.	144
Guillelmini.	144
Hieronymitæ.	144
De Mercede.	233

Mini-

Minimi. 256
Minimi Infirmorum. 271
Montis Virginis. 162
Præmonſtratenſes. 144
Societatis Jeſu. 270
Theatini. 270
Trinitarii. 231
Vallombroſani. 162
Viſitationis. 278
Urſulinæ. 278

Ordines Equeſtres.

De Avila. 223
De Alcantara. 229
Annunciationis. 256
De Callatrava. 229
De Chriſto. 246
S. Georgii. 134
S. Jacobi. 187
S. Joannis. 223
S. Ludovici. 286
S. Marci. 256
S Mauritii. 256
S. Michaelis. 229
Stolæ Aureæ. 177
S. Spiritus. 275
Velleris aurei. 256
Theutonicus. 230

Si-

Sibillæ.

Cumana. 27
Delfica. 25
Erithrea. 31
Heleſpontina. 47
Samos. 51
Thiburtina. 89

MAG 2021721

Digitized by Google